


05

A

2381





Q. D. B. V.

DISPUTATIONEM JURIS PUBLICI,

De

VIA FACTI
PRINCIPIBUS IMPERII

PERMISSA,

In Illustri Academia Fridericiana

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

DN. FRIDERICO

VVILHELMO,

ELECTORATUS BRANDENB. HEREDE, &c. &c. &c.

SUB PRÆSIDIO

PRO-RECTORIS MAGNIFICI

DN. SAMUELIS STRYKII,

JCti,

SERENISS. ET POTENTISS. ELECTORIS BRANDENB. CONSILIARII INTIMI, PROFESSORIS PRIMARII ET FACULTATIS JURIDICÆ ORDINARII,

Patroni sui ætatem devenerandi.

IN AUDITORIO MAJORI

D. Novembr. Anno M DC XCV.

Placido Eruditorum Examine subjicit

AUTOR

GUSTAVUS FRIDERICUS HEESPEN,

OLDENBURGENSIS

HALÆ MAGDEBURGICÆ, STANNO HENCKELIANO.

IX.

Per-Illustri atque Generosissimo
DOMINO,
DN.

ETZARDO ADOLPHO
DE **PETKUM,**

Serenissimi Principis Frisiæ Orientalis
Præfidi ^{Regimenis &} *Camerae* gravissimo
& Consiliario intimo,

In mei studiorumque meorum
Commendationem,

tenues has fructuum Academicorum
primitias

felicitem suam,
siquidem acceptæ fuerint,
læto auspicio sibi pollicentes


05 A 2381 Beneficiorum memori, submissoque animo
fero

Humillimus Cliens.

G. F. HEESPEN.



XI



I. N. F.



Prima illius Reipubl.

conditio est, in qua solo jure Civium negotia componuntur, nec quicquam privatorum libidini relinquitur. Publica enim ad hoc constituta sunt judicia, ut quisque per judicem reposcat, quod suum est, nec propria sponte jus sibi dicat & rem possessori auferat. Unde Div. Marcus Imperator vim & tunc fieri censuit, quoties quis id, quod deberi sibi putat, non per judicem reposcit, teste Callistrato Jcto in *L. Extat. 13. D. quod metus causa*. Verum in plerisque Rebuspubl. ita vivitur, ac si extra Remp. viveretur; Et nescio, annon quod olim de Germania nostra in aprico erat, hodie multo aliter sese habeat, quod **MULTUM FACTI PARUM JURIS** ubique conspicuum sit: Certe alio longe sensu, quam quo Jctus jus in facto positum esse dicit, *L. 52. §. 2. D. ad L. Aquil.* sed jus in facto adeo quæritur hodie, ut qui *via facti* rei possessionem consequi possit, ad Judicem raro recurrat, sed beatitudine possidentium sibi gratuletur, plane securus, an jure an injuria possessionem apprehenderit. Unde inter Reges Prin-



cipesque hodie jus IN ARMIS positum esse creditur, quo qui altero potentior, & ad defendendam possessionem aptior, altero justior reputetur. Quod usu Germaniæ quondam ita invaluit, ut saluberrimis constitutionibus de pace publica promulgatis, huic malo vix obviam iri potuerit. Cum vero supersint casus, ubi non semper ad judicem recurrere licet, sed LL. publicarum permisso *viam facti* eligere fas est, operæ pretium fore censui, quando hæc *Facti via* Principibus Statibusque Imperii permessa, ex publicis Constitutionibus inquirere, & speciminis Academici loco eandem publico examini sistere. Fateor equidem, ampliorem hanc materiam esse, quam ut pro dignitate brevibus his paginis enodari possit, imo decisiones in hac materia non levi periculo obnoxias esse, cum bellis Civilibus *viam facti* intempestive usurpatam tristissimam occasionem dedisse, exemplis pene multis constet. Veniam tamen mihi polliceor à B. L. si non omnia, sed quædam tantum hujus materiæ capita tetigero, in quibus *viam facti* Legibus Imperii publicis vel probatam vel reprobam paucis ostendero. Faxit DEUS, ut sine *facti via*, solo *juris* præsidio, salva in posterum stet res Romana, ne qua de re jure decertari oporteret, armis unquam contendant, sed qui vi & armis certare noluerint, jure judicioque superiores evadant. (Cicer. *Orat. pro Aul. Cacina c. 1.*) Sit itaque DEO feliciter annuente

CAP.

CAPUT I.

De

VIA FACTI PRINCIPUM

IN SECULARIBUS.

§. I.



Nte constitutas Civitates, cum homines *De statu ho-*
 adhuc essent per familias segrege dispersi, *minum na-*
 quemlibet negotiorum suorum judicem fuisse, *turali.*
 atque pro arbitrio suo de iis constituisse, nemo
 unquam inficias ibit. Vivebant enim omnes in
 statu æquali, nec erat, qui controversias exortas pro imperio
 definire aut componere valeret: sed propriæ cujusque con-
 scientiæ relinquebatur, de actis suis judicare, quousque ea
 ad justitiæ normam quadrarent. Cujus stimulos si quis
 negligebat, vi superioritatis cujusdam in ordinem eum
 redigere, plane erat incognitum. Nam quod Grotius
L. 2. c. 20. §. 3. putat: eum, qui male egisset, hoc ipso sese
 quovis alio inferiorem fecisse, & cuique, qui in simili de-
 licto non versatur, competere potestatem, pœnas de eo su-
 mendi, id valde dubito, an in statu naturali obtinuerit. *Vid.*
Dn. Pufend. l. 8. c. 3. §. 7. Quam autem gravia incommoda in-
 de profluxerint, manifeste cuique apparebit, qui humani
 ingenii inclinationes penitus inspexerit. Ea enim est no-
 stræ naturæ conditio, ut affectu eo, quo in nos ipsos rapi-
 mur, occæcati, semper nos nostrasque actiones magnifacia-
 mus, & injustissima interdum facta falso justitiæ colore te-
 gere allaboremus. Quin etiam, si injustitia tam aperta sit, ut
 nullam plane excusationem admittat, insatiabilis tamen
 cupido habendi, aut pudor propria delicta confitendi sæpe
 resistit, quo minus læsionem alteri a nobis illatam resarcia-
 mus. Si ergo aliquis damno aut injuria vicinum affecerat, *Qualis ibi*
juris perse-
nec cutio?

nec reparationem ejus, seriamque facti pœnitentiam offerre vellet, non aliter iste, quam vi aut armis illud recuperare potuit, illudque violentia ab altero exprimere, quod ille ex consideratione justitiæ ultro præstare detrectabat. Ex quo quæ non horrendæ vastationes? quæ non cruentæ strages, aliaque belli incommoda fuerunt exorta? Unde & hæc quoque non inter minimas constituendarum Civitatum causas recenseri solet, & ingens earum reputatur commodum, quod ibi, potestate omni lites ex proprio judicio definiendi privatis ademta, publica autoritate personæ mediæ inter litigantes constitutæ sint, quæ causas controversas inter eos secundum justitiam Legesque præscriptas decident. Ita enim eo facilius justa pronunciabitur sententia, quo minor spes lucri exinde iudicibus arridet: eoque citius alter ei parere cogitur, quo magis propriarum virium exiguitas publicæ autoritati resistendi spem omnem aufert.

*In Republ.
quandoque
privatis
quid indul-
gendum.*

§. II. Non tamen potuit hæc pristina libertas ita circumscribi, ut non etiam in optime ordinatis Rebuspubl. exuviæ quædam privatis relinqueretur. Vestigia hujus rei quam plurima in jure Romano occurrunt, ubi vel ob justum dolorem, quem temperare difficillimum, vel ob moræ periculum, vel ob periculi imminentis aversionem privatis etiam indulgetur, ut non implorato iudice via facti procedere, & jus suum prosequi, vel damnum avertere possint. De quo vid. textus in *L. 22. §. 4. ff. ad L. Cornel. de adult. L. 3. ff. de justitia & jur. L. 1. C. unde vi. L. 11. C. de raptu virg. L. 4. §. 1. ff. ad L. Aquil. L. 54. §. 2. D. de furt. L. 10. §. 16. ff. que in fraud. Cred. L. 7. §. 3. D. quod vè aut clam. L. 27. pr. de S. P. V. L. 1. §. 2. de via publ. & itinere & c. L. 2. C. ut nemo priv. titul. prædiis & c. L. 1. C. ut nemini liceat sine jud. autor. L. 1. §. 2. ff. de arbor. cadend. L. 29. §. 1. ff. ad L. Aquil. L. 3. §. 7. de incendio & c. L. 29. §. 3. ad L. Aquil. & tot. tit. C. quando liceat unicuique sine iudice. Verum cum hæc privatos tantum concernant, & materia hæc de via facti privatis indulta ab aliis jam occupata, & discussa sit, actum agere nolo, sed Lectorem benevolum remit-*

remitto ad *Gracium de autoritate privatâ*, & *Dn. Struvium de vindicta privata*, ubi plena manu, quæ huc pertinent, discussa videbit.

§ III. Quapropter mox progredior ad ipsam hujus disp. *mex Per Principi-*
materiam, nempe ad viam facti Principum & Statuum Impe- *peris quis*
rii. Quo loco circa vocabulum Principis, quam varie, quam- *intelliga-*
que late illud accipiatur, sollicitus non ero, cum videre il- *tur.*
lud prolixè liceat apud *Reincking. de Reg. sec. & Eccles. l. 1.*
cl. 4. c. 8. & *Paurmeister de Jdict. l. 2. c. 19.* Per Principes enim
omnes illi hic indigitantur, non qui titulo tantum tales, sed
& qui juribus Principum gaudent, & suprema jurisdictione
in territoriis suis pollent, qui Statuum Imperii nomine veni-
unt.

§ IV. Quid autem per *factum* hic intelligam, ante *Quid per*
omnia exponendum est. In jure nostro factum & jus quidem *factum?*
sibi opponuntur, quorsum pertinet integer *tit. D. de juris &*
facti ignor. & hoc sensu in pactis factum in stipulationibus
jus contineri dicitur *L. 27. §. 2. D. de pact.* Licet aliquando in i-
psa stipulatione non jus, sed *factum* versari dicatur per *L. 38. §. 6.*
D. de V. O. Sic porro *facti & juris* quæstio sibi opponitur in
L. 94. D. de V. O. & L. 47. D. de donat. inter vir. & c. Quamvis e con-
trario tam juris quam facti quæstio in uno casu concurrat.
L. 11. §. 12. D. ad L. jul. de adult. Cœterum in his & similibus tex-
tibus de *nudo tantum facto* agitur, cuius applicandum, sed
hoc sensu a nobis non capitur. Porro occurrunt etiam in
jure quædam, quæ *facti* dicuntur, sicut possessio facti esse di-
citur *L. 19. D. Ex quibus causis majores & c. L. 29. D. de acquir. possess.*
Verum nec hæc ad viam facti referri possunt. Potius illa ad *Quid de*
hanc materiam pertinent, quæ vulgo *de facto* fieri dicuntur, *Facto?*
quando quis vel nullo plane jure agit, vel aliquid violenter
facit *arg. L. fin. C. de act. emt.* cujus phraseos diversus intelle-
ctus videri poterit apud *Zasium ad L. Stipulatio ista 38. D. de V. O.*
& huc pertinet vulgatum illud, quæ *de facto sunt*, *de facto pro-*
biberi possunt *Bartolus ad L. 3. §. 9. D. de vi & vi armata.* Sed
quan-

Quid via
facti?

quantum memini, phrasis *de facto* in jure nostro hoc sensu plane non occurrit, quamvis *de facto consulere* dicat Jctus in *L. 9. §. 79. ff. de Judiciis* add. *L. ult. ff. de jurejur. de qua materia juris & facti* prolixè egit Matth. Stephani *tr. de Jur. arte cap. 1. n. 17. seqq.* Breviter ergo dicimus *de facto* vel *viam facti* nobis idem esse, quam *propria autoritate non implorato iudice aliquid suscipere*. Et huc collimat Clausula illa, quando quis *ipso facto* jure suo excidere dicitur, quæ nihil aliud involvit, quam ut quis citra sententiam vel ministerium iudicis jure suo cadat. Joh. Bapt. Costa *tr. de facti scientia. Inspect. 1. n. 23.*

Via facti
alia permis-
sa, alia da-
mnata.

§. V. Cæterum cum illud, quod propria autoritate fit, plerumque capiatur pro actu violento & minus legitimo Costa *d. l. n. 26.* nec hic intellectus nobis sufficit, sed potius *viam facti* distinguimus in illam, quæ jure permessa & quæ reprobata, cujus permissionis solemne exemplum occurrit in *L. 1. C. quando liceat unicuique sine iudice se vindic.* ubi Imperatores liberam resistendi cunctis tribuunt facultatem contra aggressores, subjuncto epiphonemate; *Vestram igitur vobis permittimus ultionem, & quod serum est punire iudicio, subjugamus edito.* Et de hac via facti LL. imperii publicis permessa, seu arbitrio sine iudice aliquid agendi in sequentibus potissimum solliciti erimus. Quando autem aliquis citra juris permissionem proprio ausu quicquam suscipit, hoc tanquam Legi contrarium pro delicto reputandum, & hinc vel pœna vel juris amissione vindicandum, juxta *L. Si quis tantam 7. C. unde vi.*

An de Prins
cipibus no-
stris asseri
possit?

§. VI. Dum vero misis privatorum moliminibus Principum facta sub examen revocaturus sum, vereor, ut statim in limine hujus capituli mihi quis objiciat: Esse hoc infra dignitatem Principum nostrorum, de iis effari, quod *viam facti* interdum procedant: cum enim hæc definita sit *per privatam autoritatem*, quid hoc aliud esset, quam eos in ordinem privatorum redigere, qui Majestate vel huic analoga superioritate territoriali gaudent? & hinc sæpe plus, in suis territoriis possunt, quam Imperator in Imperio.

§. VII.

§. VII. Verum salva res est, si diversos casus hic separamus. Aut enim controversia est de exercitio jurium ad superioritatem territorialem pertinentium in administranda Provincia, & huc viam facti non pertinere facile largior: Uti enim quisque privatus rerum suarum arbiter esse dicitur *L. 21. C. mand.* adeo ut & re sua abuti possit, nec tamen via facti hac ratione quid fecisse censeatur. Ita quoque Princeps jurium sibi competentium moderator est & arbiter, & illa prout sibi vel Reip. consultum censuerit, libere administrat. Quod si vero illa dispositio Principis dirigatur ad bona & jura subditis semel quaesita, eatenus *via facti* non raro locum sibi vindicare solet, postquam omnium Doctorum assensu invaluit regula: Principem nemini jus semel quaesitum auferre posse. Vid. Petr. Anton. de Petra *integro tr. de jure quaesito per Principem non tollendo*, si scil. nulla justa causa adsit. Quod si ergo citra justam causam aut causae cognitionem illa qua subditis semel quaesita, Princeps ad se trahat, omnino ad viam facti hoc pertinebit, dum ipse circa res privatorum sine iudice, & sic remota juris via disponit.

Quomodo
de iis dici
possit?

§. VIII. Non quidem desunt hic, qui Principem & hoc casu a via facti liberare cupiunt, dum quod jure ordinario ipsi circa bona subditorum permissum non est, ad potestatem Principis extraordinariam, seu ut vocant, absolutam referunt, & hinc quoque, si quod ab ipso gestum, viam facti sapere, & ita per viam juris impugnari posse videatur, hoc *ex plenitudine potestatis* excusatum eant, quorsum pertinet assertum Dd., quod princeps praesumatur uti plenitudine potestatis, ut actus valeat & sustineatur, Menoch. *Resp. 2. in caus. Finariens. n. 38. n. 1. 2. & Vol. 1. Cons. 2. n. 38.* Verum intentio nostra non est, ad casus extraordinarios recurrere, quos interdum summa Reipubl. necessitas excusatos reddit, ubi, teste Tacito, *habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod tamen utilitate publica rependitur.* Sed de eo potius solliciti erimus,

Quousque
ea licita sit?

B.

mus,

mus, quid ordinarie Principibus nostris liceat, & qua ratione vi potestatis Legibus Imperii fundamentalibus stabilitæ, sine iudice procedere, & propria autoritate jus suum persequi possint, sive causa hæc subditos, sive alios Principes concernat. Et hac ratione viam facti terminis legitimis includimus, non ut quod lubet, liceat, sed ut quod per Leges Reipubl. licet, sine processu vel alterius Principis imploratione sibi vindicent. Quapropter viam facti Principibus permissam considerabo, vel quatenus ipsis negotium intercedit cum alio Principe, vel cum subditis sibi subjectis.

Principes nostri vocantur subditi Imperii & Imperatoris. §. IX. Quando itaque Principes considerantur respectu totius corporis Germaniæ, resque non in ipsorum territoriis, sed cum aliis Principibus Imperii agitur, non ita libere facere, omniaque ex proprio arbitrio statuere possunt. Hoc enim modo subditi Imperii Imperatorisque sæpe ratione appellari possunt: quemadmodum hæc formula non una vice in Recessibus Imperii occurrit, *Ordin. Camer. de anno 1555. C. 2. tit. 1. Alle des Heil. Röm. Reichs Verwandte und Unterthanen/ & alibi: Unser und des Heil. Röm. Reichs gesante Unterthanen.* liberata tamen subditi voce ab omni imperfectione politica, *Illustr. Dn. de Rhetz de jur. publ. l. 1. t. 3. §. 2.*

Quis competens eorum iudex? §. X. Nullum ergo dubium est, quin Legibus Imperii constringantur, quod jus suum coram summis Imperii tribunalibus, non autem *facti via* persequi regulariter teneantur: cum mutua conventionione & pragmatica Imperii Constitutione, Cameræ Imperialis jurisdictionem tanquam ordinariam sibi constituerint, *Gail. 1. Obs. 41. n. 5. Reinking. de de reg. sec. & Eccl. l. 2. cl. 2. c. 14. §. 10.* cui omnes Imperii Status *Ordin. Camer. C. 2. tit. 7.* imo ipsi etiam Electores subsunt. *R. J. de Anno 1548. §. Folgendes aber: ibi: und sollen Churfürsten / Fürsten und Stande solchem unserm Kammer-Gericht Gehorsam leisten.* Quod iudicium Cameræ in causis, quibus fundata est jurisdictio, frustra a quibusdam recusatum fuisse, dicit *Mynsing. Resp. 24. Dec. 3. Gail. 1. Obs. 33. & 41.* Accedit, quod

quod præter hoc summum aliud, etiam subordinatum for-
 tiantur forum, nempe coram Austregis, qui pariter unanimi *De Austregis.*
 Imperatoris & Procerum Imperii consensu sunt constituti. *gis.*
Ordin. Cam. C. 2. tit. 2. &c. Conring. diss. de Judic. Imper. Germ.
§. 53. 61. & seqq.

§. XI. Nec est, quod objicias, arbitros hos potius es- *Qui non*
 se, quàm judices, ad quos etiam in statu naturali recurri pos- *sunt meri*
 set, in quo tamen neminem alterius judicem esse, supra §. I. *Arbitri, sed*
 dictum est. Quod ego quidem de Austregis familiæ seu con- *revera ju-*
 ventionalibus admitto, quando nimirum per pacta familiæ *dices.*
 certi judices Austregarii constituuntur, de quibus vid. Mo-
 dest. Pistor. C. 2. quest. 73. n. 2. Knipschild *de fideicommiss. famil.*
 De Austregis autem Ordinationis, seu vi Ordinationis Ca-
 meralis præscriptis *Rechtliche Austräge* idem asserere velle,
 nimis incongruum est. Vid. Illustr. Dn. de Rhetz *de J. P. l. 4.*
tit. 2. Eo enim fine institutæ sunt hæ Austregæ, ut Principes
 nostri plures habeant instantias, quibus jura sua diversis vi-
 cibus urgere, & per incuriam omissa, aut per injuriam reje-
 cta, iterum recuperare ac deducere possint, *Ordin. Camer. C. 2.*
tit. 3. 4. Quid? quod ad arbitrum non nisi per compromis-
 sum utriusque partis devenitur, *L. 11. §. 1. L. 7. §. 3. L. 19. pr. D. de*
recept. qui arbitr. Ad Austregas vero etiam invitum adversa-
 rium trahere licet, nec potest Princeps ullus, his præteritis, ad
 Camera aut Aulam Cæs. statim causam deferre. Et quamvis
 Paurmeister *de Jurisd. l. 3. c. 4. n. 139.* prolixè defendat, præteri-
 tis Austregis, Ordines in Aula Cæsarea conveniri posse, &
 privilegium hoc primæ instantiæ tantum ad restringendam
 Camera, non autem Aulæ Imperialis jurisdictionem tende-
 re putet; Rectius tamen contrariam fovet sententiam. Ro-
 senthal *de Feud. c. 12. Concl. 1. n. 35.* Conf. Reincking. *de Regim. se-*
cul. & Eccl. l. 2. c. 16. n. 9.

§. XII. Cæterum olim in Germania *viam facti* ubique *Antiquus*
 obtinuisse testatur Rhenanus *Rer. Germ. l. 2. c. 12.* Hinc varia *Germanie*
 ad hanc viam facti tunc temporis *permissa* referri poterunt *Status in*

persequen- exempla. Pertinet enim huc das *Faust-Recht* / oder das *Kolz-*
do, quod fie- *ben-Recht* / ubi ad arma provocabant illum, cum quo jure
bat vel per experiundum erat, & qui superior ex pugna discessisset, vi-
Duella, ctor quoque in causa erat, & victus cedere bonis teneba-
 tur. Qui modus in *speculo Saxonico l. 1. art. 63.* expresse appro-
 batus, & plerumque fiebat præsente atque aspiciente Sena-
 tu, qui quidem ab initio omnem movebat lapidem ad eos
 ab hoc cruento lites decidendi modo deterrendos; eo autem
 non succedente, & locum eis tutum intra urbem assignabat,
 & defensionem promittebat, ne qua ipsis injuria aut vis
 fraudulenta inferretur. Et ita uterque ad mortem animum
 suum præparabant, feretrum cum candelis, pannum fune-
 brem, atque alia funeribus usitata sibi confici curabant, at-
 que peccata sua feria, ut putabant, pœnitentia sacerdoti con-
 fitebantur. Sanctum enim quid atque divinum inesse Mo-
 nomachia, Deumque ipsum hoc medio de justitia causæ
 pronunciare existimabant. Aventinus *Annal. Boior. l. 4. C. 248.*
 Freherus *tom. 2. Germ. Scriptor. in princip.* Unde & has fimi-
 lesque probationes *Gades Ordel* / *Stttes Urtheil* / Latine
Ordaliura, Urthella, Ardalium appellabant, Olaus Worm, *Danic.*
Monum. l. 1. c. 11. Schottelius *de antiq. jur. Germ. c. 28.*

Vel per §. XIII. Interdum quoque non ipsæ partes, sed eo-
Campiones. rum loco alii dimicabant pugiles, qui alieni dissidii dirimen-
 di causa operas suas locabant; & cujus campio in arena vin-
 cebat, ab ejus partibus quoque stabat victoria causæ. *tit. 2.*
Legg. Longobard. c. 77. 82. & 110. Gonzalez Tellez *ad tit. de pur-*
gat. vulg. c. 2. Plura de his duellis vid. *Voet. de duell. c. 4. p. 43. & sqq.*
Gauer de duell. Besoldus Thes. Pr. sub voc. Faustrecht & Selbstges-
richte. Imo successu temporis non singuli contra singulos ar-
Vel per in- ma suscipiebant, sed integræ familiæ sese conjungebant, & in-
vasionem jurias uni ex iis illatas communi manu prosequerentur, ita
hostilem. ut qui unum ex propinquis, & omnes adversos haberet. An-
 te ipsam tamen hostilem invasionem literas diffidatorias
Absags-Zettel solemniter parti adversæ mittebant, quibus
 tan-

tantam adscribebant virtutem, ut his intimatis, omnia inimicorum bona summa iustitia occupari devastarique posse, sibi persuaderent. Lehman. *Chronic. Spirens. l. 5. c. 112.* Carpz. *Pract. Crim. C. 1. Quest. 35. §. 2. & 3.* Ab his injuriis ut securos se redderent ii, qui studio æqui bonique operam navabant, extruebant sibi arces munitas in quibus familiæ suæ atque res pretiosæ ab ejusmodi invasionibus conservarentur, quas Ganerben-Schlosser appellarunt, de quibus vid. Befold. *sub voce Gan-Erben / Paurmeister de Jurisdic. Imper. l. 2. c. 8. n. 68.* Rittershus. *partit. Feud. l. 1. c. 17. §. 2.* Et talis Civium Imperii conditio esse cepit præcipue tempore interregni illius magni, ubi arma ubique, Leges fere nusquam dominabantur, & quisque rapinis & deprædationibus, quantum poterat, occupabat. Vid. Lehmanni *Chronicon Spir. l. 5. c. 95.* Cujus vestigia quoque se iterum tempore Wenzeslai exseruerunt Lehm. *d. l. 1. 7. c. 69. & 89.*

§. XIV. Et quanquam per subsequentes Cæsares hæc impune grassandi licentia compressa est, non potuit tamen ita penitus extirpari, ut non exuvia quædam adhuc relinquerentur. Hinc quoque in Aurea Bulla diffidationes permixtæ, alterumque per incendia, spolia vel rapinas invadere concessum est, hac saltem addita limitatione ut diffidatio tribus ante diebus diffidando intimetur. *A. B. c. 17. §. 2.* Inde obligationibus inferi clausula poterat, *Daß der Creditor wider den debitorem mit Raub und Brand verfahren möchte.* Donec tandem a Maximiliano I. prava hæc consuetudo penitus sublata; & sub gravissimis pœnis atque supplicis fuit prohibita. *Vid. Königl. Landfr. zu Worms A. 1495. Erklärung des Landfriedens zu Augspurg A. 1500. item Kayserl. Landfried zu Worms A. 1521. Erklärung des Landfriedens I. per Con- zu Nürnberg Anno 1522. ii. zu Augspurg Anno 156. 1576. 1578. Add. Rumelin. ad Aur. Bull. p. 2. diff. 6. th. 1. & seqq. Bocer. tr. de diffidat.* Id quod totius ejus regiminis opus fuisse excellentissimum merito asserit *Dn. Pufend. Introd. ad histor. c. 8. §. 12.*

Hanc viam facti Imperatores reprimere conati sunt.

Penitus eam in Imperio sustulit Maximilianus I. per Constitutiones speciales.

Et per rece-
ptionem ju-
ris Civilis in
Camera.

§. XV. Accedebat receptio juris Civilis Romani, quo Principes quoq; nostros constringi, nemo unquam negabit. Cum enim Maximilianus I. anno 1495. consensu Statuum Germaniæ statuisset, ut in Camera jus ex LL. Romanis diceretur. *Vid. Lehmann. Chronic. Spir. l. 4. c. 21.* id quod ex formula juramenti, ab Assessoribus ejus judicii præstandi patet *vid. Ordin. Camer. de anno 1555. p. 1. tit. 57. verb. Nach des Reichs gemeinen Rechten / per quæ sine dubio Romana jura intelliguntur; Controversiæ autem Principum omnes ad Camera per appellationem devolvantur, sequitur, hos necessario sese ad id obligasse. Secutæ deinde sunt multæ Imperii Constitutiones, quibus jus Romanum confirmatum, atque ejus observantia in Camera stabilita fuit. *Vid. Ordin. Camer. de anno 1500. §. Die Succession der Dichter und Enckeln 18. verb. Nach Laut gemeiner beschribenen Kaysersl. Rechts &c. Constit. Maximil. Von Unterricht der Notarien Anno 1512. §. Uudt und nachdem von gemeinen Rechten Ordin. Camer. de anno 1555. p. 1. tit. 13. §. 1. verb. Auf des Reichs gemeinen Rechten / 5 part. 2. tit. 3. §. f. Wir ordnen und setzen / daß &c. Vermöge der gemeinen Rechten gehalten werden soll / Rec. Imper. de anno 1570. §. Nachdem auch in gemeinen Recht / Policen; Ordnung de anno 1577. tit. 17. verb. Diweil solche Contracten in gemeinen beschriebenen Rechten höchlich verbothen. Recess. Imper. de anno 1654. §. Benebens sollen 105. Cammerrichter &c. bey administration der heilsamsten Justitz so wohl die Statuta und Gewohnheiten / als die Reichs Abschiede und gemeine Rechte vor Augen haben und wohl beobachten. *Vid. Struv. Exer. 2. §. 35. add. Conring. de origin. jur. German. c. 32.* Idem quoque in judicio aulico observari pariter ex juramento Assessorum, Consiliarorumque elucet: Thige und künfftige des Heil. Röm. Reichs Constitutionen und Satzungen neben den gemeinen beschriebenen Rechten &c. in acht zu nehmen. *Vid. Ordin. Judic. Aulic. tit. 7.* sub formula juramenti der Reichs Hoff-Räthe. Unde sub fine ejusdem Ordinationis præcipitur: daß**

Jus Civile
quoque in
judicio au-
lico rece-
ptam.

daß die Kaysersliche Wahl Capitulation, alle Reichs Abschiede /
 Cammer Gerichts Ordnung &c. Corpus Juris Civilis & Ca-
 nonici, und der Stände privilegia, auff der Reichs Hoff-
 Raths Taffel / damit man sich deren in zweiffelhaften Fäl-
 len gebrauchen könne / stets vorhanden seyn sollen. *Vid. Dn.
 Linck. de Juris Justin. receptione & autoritate in Germania part. 1.
 num. 30.*

§. XVI. Ex quibus omnibus satis liquet, Status quo- *Principes*
 que Imperii vinculis Juris Civilis se submisisse. Imo tantum *quoque jure*
 abest, ut jus hoc in Principes nostros vim suam non exserat, *Civili obli-*
 ut potius nullibi magis vigeat, quam inter Principes. Sub- *gantur.*
 diti enim mediati plerumque habent Statuta regionum par-
 ticularia, quibus reguntur: Immediati autem, cum semel hoc
 jus per conventionem receperunt, stare ei tenentur, ut extra
 casus in Constitutionibus Imperii expressos, ab eo recedere
 non possint. Ex quo itaque & illud sequitur, in controver-
 siis exortis via facti contra alterum eos procedere non pos-
 se, sed ad ordinariū suum judicem debere recurrere, *arg. L. 13.
 ff. quod metus & L. 14. C. de judic. Conf. Recess. Imper. de An. 1654.
 §. Sehen demnach &c. 7.* Ex quo eodem §. *in fin.* quoque ap-
 paret, non omnem viam facti Statibus esse denegatam, sed
 pariter ac privatis multum eis hac in re licere. Et quidem
 ideo in probanda receptione Juris Romani prolixior pau- *Omnia, que*
 lulum fui, quia hæc omnia, quæ ibi privatis concessa, vi re- *privatis*
 ceptionis hujus Juris quoque in Principibus Imperii obti- *concessa,*
 nent: idque non respectu subditorum suorum in suis ter- *Principibus*
 ritoriis, (in quibus uti antea, dictum longe plura vi superio- *quoque li-*
 ritatis territorialis peragunt.) Sed si vel ipsis res sit cum aliis *cent.*
 Imperii Principibus, vel si in alieno vivant territorio, in quo
 quanquam non plane in numerum privatorum redigendi,
 cessabunt tamen in iis sine dubio jura territorialia, *Vid. Per-*
Illustr. Dn. Baro a Frisen, Sereniss. Elect. Sax. Consiliarius intimus,
& Cancellarius gravissimus, Dissertat. de Jure Princ. extr. territ. c. 16
 §. 14. Omnia quidem, quæ ex Jure Romano adduci hic pos-
 sent,

sunt, repetere animus non est, illa saltem mihi superaddere hic liceat, quæ per Capitulationes vel alias Leges Imperii specialiter iis concessa vel adempta sunt.

*De Patre
vel Marito
filiam vel
uxorem in
adulterio
deprehen-
dentibus.*

§. XVII. Quod itaque attinet occisionem patris filiam in adulterio deprehendentis, concessa illa quoque est in P. S. D. art. 142. ubi eodem loco quoad maritum idem quoque obtinet. Et quanquam maritis regulariter uxorem eodem actu interficere non permissum, Principibus tamen, annon id liceat, dubitari potest; præcipue si in territoriis suis eam in actu libidinoso deprehendant. Hi enim cum vi superioritatis suæ delictum hoc uxoris vindicare, & eam publice capite truncare possint, quare non etiam in ipso actu meritam ei pœnam ex justa indignatione statim irrogare? cum hoc ne patri quidem denegatum sit. Nam cum in Principe Imperii vel filiam vel uxorem in adulterio deprehendente nexus superioritatis territorialis concurrat, inde non præcise via illa facti, quam in adulterum vel adulteram exercere cupit, ad limites nostri juris, Privatorum zelotipia præscriptos, coarctanda, sed liberior ipsi potestas concedenda, ut in eo, quem ordinario supplicio destinare potest, extraordinario quodam modo scelus admissum vindicare valeat. Contrariatur hac in re Mylerus ab Ehrenbach in Gamol. c. 7. n. 22. & seqq. nec uxorem jurisdictioni mariti subjectam esse, nec ullam pœnam ei ob delictum a marito infligi posse statuens. Verum quanquam concedam, sociam eam esse Principis, non subditam, & ita reliquis subditis annumerari non posse; reatus tamen exiit omnem dignitatem, & sic si in territorio mariti deliquit, ibi quoque eam puniri fas est. *Illustr. Dn. de Rhetz. 7. 7. P. 1. 1. tit. 22. §. 14.*

*De retorsio-
ne juris no-
vi.*

§. XVIII. In viridi observantia apud eos quoque est retorsio illa juris ejusdem in alterum, quo ille in me utitur. Ut autem id locum habeat, requiritur, ut Princeps, ille qui retorquere cupit, jam jus illud contra se expertus sit. Car-

pzov.

pzo v. part. 3. Const. 38. def. 1. 2. & seqq. Berlich. part. 3. concl. pract. 51. n. 27. Quod si nondum factum, potest petere cautionem atque literas reversales ab altero, quibus promittat, se jure hoc novo contra hunc Principem nunquam usurum. Vid. Struv. de vindict. priv. C. 11. aphor. 5. n. 17. Sic v. g. Noribergæ obtinet, ut de mortui hæreditate exportanda certa gabella detrahatur: Si E. illa hæreditatem ex alterius Status territorio e. g. Civitate Argentina ad se transferre vellet, exigere eandem Gabella ab ea potest. Vid. Abasv. Fritschius l. 1. Ex. 3. n. 33. Idem de Gerada in Saxonia deficientibus cognatis Fisco cedente sentiendum. Sic si in certis locis mercibus apud nos factis transitus denegatur, eum eis iterum vi retorsionis prohibere nobis licet. arg. Cap. Jos. §. 19. in f. Pariter in quibus territoriis exteri vel plane quid vendere prohibiti sunt, aut etiam ob prætensiones adhuc dubias arrestati; quin etiam eorum subditi vice versa detineri, aut commercium eis interdici possit, nullum est dubium. Conf. Multz de repræs. Majest. Imper. p. 2. c. 9. n. 84.

§. XIX. Progredior jam ad ea, quæ in casu summæ necessitatis, cum spacium adeundi judicis non datur, licita reputantur. In quo quemadmodum privatis, ita sine dubio & Principibus hostem & turbatorem Pacis publicæ etiam in alieno territorio persequi licet. Idque in causis fractæ pacis Constitutione Imperii Anno 1559. Augustæ promulgata expressè sancitum est in §. Und wiewohl. Gail de pace publ. L. 1. c. 16. §. 25. Mynsing. 2. Obs. 28.

§. XX. Alios autem delinquentes in alterius territorium fugientes, an ibi apprehendere liceat, magis disquiritur. Plerique & hic affirmativam defendunt, sub illa distinctione tamen, an ego jam in meo territorio cæperim eum persequi, in alterius denique eum assequar; an vero ille jam persequutionem meam effugerit semel, & post aliquod tempus eum iterum in alterius territorio deprehendam: hoc casu eum capere atque abducere non licebit, bene vero illo, Con-

C

cedi-possint.

ceditur enim ejusmodi actus jure indivisibilitatis, quando in suo territorio cæptus, in altero demum completus est, qui tunc pro actu quasi uno reputatur, & non tam ad finem, quam principium in eo respicitur. Aliud esset, ubi actus jurisdictionis in alterius territorio initium capit, quod fieri nequit, nisi ab eo, qui habet jurisdictionem, qui hoc casu delinquentem apprehendere, & ad petitionem judicis ejus loci, ubi delictum patratum est, cum cautione remittere solet. Vid. *Besold. in Thesaur. Pract. sub voce Natcheyl. Gail. d. l. l. 1. c. 16. num. 28.*

De moderamine inculpatæ tutelæ. §. XXI. Moderamen inculpatæ tutelæ, atq; sui ipsius defensionem quod attinet, nemo unquam sanus hanc Statibus nostris denegabit, præsertim cum ea quoque speciali approbatione Imperii nitatur *P. H. D. art. 139. & seqq.* *An etiam contra Imperatorem* Mihi videtur omnino, hanc eis & hoc casu denegandam non esse. Eo ipso enim dum hostis animum Imperator induit, alter ejus Majestatem venerari amplius non tenetur, cum obligationem, qua ei devinctus tenebatur Princeps, hoc ipso sustulisse censeatur. Hostis enim & Imperatoris personam simul sustinere nequit. Neque etiam tanto subjectionis vinculo Principes nostri erga Imperatorem constringuntur, quam quidem cæteri subditi erga suos Imperantes. Vid. *Dn. Multz. de repres. Majest. Imper. in Proleg. c. 4. §. 3. Conf. Dn. Puffend. de J. N. & G. l. 7. c. 8. §. 5.*

An Statibus liceat bella contra Imperatorem suscipere. §. XXII. Ex eodem fundamento quoque dijudicandum puto quæstionem: An Status nostri contra Imperatorem bello eos invadentem, arma suscipere atque sese defendere possint? Hic separandi erunt casus: Aut enim Imperator bellum suscipit contra universum Imperium, seu omnes Principes conjunctim: Et sic Imperatore tanquam capite sublato seu in hostem Imperii degenerante, summa Majestas pariter, ut tempore interregni penes Status collective sum-
tos

tos remanebit, qui quemadmodum omnia alia jura Majestatis, ita & jus belligerandi ad defendendum Statum suum exercere possunt. Et hoc casu bellum hoc nequaquam ad viam facti referri potest, sed quicquid hic suscipiunt, ex vi summi Imperii, atque Majestatis supremæ profluit. Sed dices fortasse: Si Imperatori cum omnibus Statibus simul incedat controversia, quomodo eam aliter quam vi atque armis decidere poterit, si Principes sua sponte sese ejus sententiæ submittere nolint? Communis enim judex inter eos non adest, & judicium Austregarum, quod alias Imperatori datur, si cum singulis Statuum controversiam habeat, Vid. Rume-
lin. *ad A. B. p. 118.* hic locum sibi vindicare nequit: Eos enim eligere, nihil aliud esset, quam partem adversam judicem constituere, cum Austregæ ex numero Principum, quos pariter hæc causa concernit, constituendi. Sed Respond. his non obstantibus Imperatori ad arma convolare non licet, cum hoc etiam casu expresse id promiserit, in §. 14. *Cap. Leop. verb. Wo wir zu ihnen allen oder einem insonderheit zusprechen.* Conf. *Limnæus ad A. B. c. 5. §. 3. Obs. 9.* Vix ergo aliud remedium hic supererit, quam ut arbitri ex vicinis Principibus constituentur.

Quis inter Imperatorem & imperium judex?

§. XXIII. Aut singulos Statuum Imperator bello invadit, & tunc via facti seu bello sese defendere poterunt, sine consensu etiam cæterorum Principum. Non enim Imperatori solum, sed imperio simul juramentum fidelitatis præstiterunt: & non illi tantum Imperatori, sed Imperator quoque iis per modum pacti atque conventionis reciprocæ obstrictus est. Quod si ergo ille à sua parte vinculum illud dissolvat, nec ii quoque amplius adstricti sunt, ad illud rigide observandum. Et si vel maxime de neglecti officii crimine eos accusare velit, tamen ad arma non statim convolandum, sed citare reos, & cognitioni Senatus Imperii pro fide data abs eo per jusjurandum sistere deberet. *Wo wir oder jemand anders zu ihnen allen oder einem insonderheit zusprechen / oder*

Aut contra unum alterumve Principem arma suscipit.

einige Forderung vorzunehmen hätten / dieselben sollen wir
samt und sonders vor die ordentlichen Gerichte / nach Aus-
weisung der Reichs-Abschiede 2c. zu Verhör und gebührli-
chen Rechten stellen und kommen lassen. *Conf. §. 13. 14 & 28. d. Cap.
Josephi.* Quemadmodum ita non una vice bellum suum
justificaverunt Principes nostri, quod superiori seculo con-
tra Imperatorem Carolum V. suscipere coacti sunt. *Sleid. l. 17.
p. m. 531. & seq. Conf. Hortleder von der Rechtmäßigkeit des
teutschen Kriegs / l. 2. per tot.*

*Bellum of-
fensivum
Principes
suscipere
nequeunt.*

§. XXIV. Inter ipsos autem Principes omne bellum
offensivum esse prohibitum, vel ex eo solo patet, quod an-
te de ordinario eorum judicio differui. Dum enim ha-
bent in promptu, ad quod læsi recurrere, & satisfactionem
injurix petere possunt, ab omni hostili invasione, atque via
facti erit abstinendum. Et sane inutilia essent imperii judi-
cia, si quilibet via facti posset procedere, & bello justitiam
suam persequi. Sicuti & hoc expressis verbis *in Instrum. Pac.
art. 17. §. 7.* prohibitum, *ibi:* Et nulli omnino Statuum Impe-
rii liceat jus suum vi vel armis persequi, sed si quod contro-
versia, sive jam exortum sit, sive posthac inciderit, unusquis-
que jure experiatur, secus faciens reus sit fractæ pacis. Et
hinc contra eum Camera vel judicium Aulicum mandata
avocatoria sub pœna banni decernere solet. *R. 7. de Anno 1529.
§. Und damit an solchen &c. & de Anno 1530. §. Wo aber &c. Or-
din. Camer. p. 2. tit. 9.*

*Bene tamen
bellum de-
fensivum.*

§. XXV. Defensivum tamen bellum eo magis lici-
tum inter eos, quo minus defensionem rerum suarum ne
privatis quidem interdictam esse constat. Quod si igitur
de facto Status quis ab altero invadatur, non tantum ipse in-
justum bellum a se propulsare, sed etiam cœteri Imperii Sta-
tus læso succurrere, & ad officium lædentem armis reduce-
re tenentur. *d. art. 17. §. 6. Conf. Mager. de advoc. armat. cap. 11.
n. 255. (2)* Contra subditos etiam rebelles & refractarios non
tantum Domini, sed etiam alii imperii status arma sumere
eos-

eosque ad obedientiam redigere possunt. *R. J. de anno 1526. §. Darauff haben wir Gail. 1. de pace publ. c. 2. num. 20. Cardin. Tusch. practic. conclus. 35. lit. B. verb. bellum. n. 10. (3) Contra quemcunque pacem publicam turbantem justum quoque gerunt bellum R. J. de anno 1555. §. Nachdem auch aber Limn. l. 4. c. 8. n. 250. & seqq. Conf. Reinck. de reg. secul. & Ecclesiast. l. 2. cl. 3. c. 2. n. 35. & seqq. (4) Denique juste tam offensive quam defensiva belligerant contra Principem extra Imperium: cum enim ibi communem Judicem non habeant, jus hoc bellorum ipsis quoque hic integrum est: Id quod pluribus exemplis presentis seculo experientia probavit. Quo loco non injuria se mirari dicit Monzamb. de Stat. Imp. Germ. c. 5. §. 8. quare Imperatori quidem interdicitur bellum alicui facere quocunque pretextu, aut fœdera cum exteris inire, citra consensum saltem Electorum *Vid. Capit. Jos. §. 10. 13. 14. & 16.* cum tamen Electoribus Principibusque id sit permissum: *Conf. R. J. de A. 1570. §. derselben wir denn anfangs.* Verum in promptu ratio est; quia bello ab Imp. indicto implicatur totum imperium; non ita, si ab uno alterove Statuum.*

§. XXVI. Sed an Principi, qui bellum vel intra vel extra Imperium gerit, fortalitia in alieno territorio posita via *An aliorum* facti occupare in sui defensionem licet? Regulariter id jure *fortalitia* Communi prohibitum esse constat. Urgente tamen ne- *tempore* cessitatis telo, si periculum hostis invadentis aliter evitari *belli occu-* nequeat, hoc eis licere sine dubio existimo. Cum enim *pare aut de-* ipsis bello sese defendere permissum; etiam ea permissa cen- *struere li-* sentur, quæ quoquo modo ad bellum gerendum & defen- *ceat?* sionem sui pertinent. Neque tertius magnum exinde damnum sentit, cum alter illud iterum, cessante bello Domino suo restituere teneatur: aut si denique detrimentum ex concursu hostium in suo territorio patitur, pro infortunio communi atque casu fortuito hoc ei erit reputandum. Per illustr. Dn. Baro de Friesen, *Seren. Elect. Sax. Cancellar. Dissert. de jure Princip. extra territ. c. 1. n. 111. Vid. Grot. l. 2. c. 2. n. 10.* Ex quo

& illud quoque dict. loc. concluditur, posse me tertii, amici licet, fortalitia destruere, si iis defendendis, nec ego par sim, nec ille; probabilisque metus adsit, hostem illa occupaturum, mihi que exinde nociturum. Cum enim privatis ad tuendas res suas concedatur tempore incendii vicinas ædes destruere, ne ignis latius serpat, & ad eorum etiam ædificia perveniat *L. 3. §. 7. ff. de incendio & c. L. 7. §. 4. ff. quod vi aut clam. L. 49. §. f. D. ad. L. Aquil.* Quidni & Principibus in casu ardentis belli ad defendendas provincias suas idem liceret?

*An repres-
salia sint li-
cita?*

§. XXVII. Atque ex his jam cognitis, manifeste apparebit, an & quousque Principibus nostris competat repressaliis uti. In quibus enim casibus bellum movere, in iis etiam repressaliis uti fas est, cum bella & repressalia eadem habeant proprietates, & vix nisi gradu hostilitatis ab invicem differant. *Conf. Grot. l. 3. c. 2.* Ex quo itaque sequitur: quemadmodum Principes adversus alium in Imperio bello certare nequeunt, ita nec eis licere repressaliis uti. *R. J. de A. 1570. §. Wann auch die Arresta. 84. Vid. Schütz. Vol. 2. Exerc. V. Ahasver. Fritschius Exercit. Jur. Publ. 10. §. 23.* nisi in casibus summæ necessitatis, ubi via juris experiri non possunt.

*An Impera-
tor solus in-
dulgeat re-
pressalias?*

§. XXIX. Sed quid? Si ob præfractam alterius Principis denegationem justitiæ, necesse fit repressaliis adversus eum uti, quaritur, an hic pariter quam ad bellum indicendum, necessarius sit Consensus Imperatoris & Procerum, an verò Imperatoris concessio sola sufficiat? Ultimam hoc affirmant Sixtin. *in tract. de regal. l. 1. c. 2. n. 12. & l. 2. c. 1. n. 31. Reincking. de regim. secul. & Eccl. l. 1. cl. 5. c. 6. n. 126. Peschwiz. de repressal. c. 5. §. 5.* putantes concessionem repressaliarum esse de reservatis Imperatoris. Ab aliis hodie contrarium defenditur: uti enim non indicit bella solus Imperator, ita nec repressalias concedere potest, ob convenientiam bella inter & repressalias. *Gail. de pign. c. 1. n. 5. & c. 2. n. 2. & 3.*

§ 3. Fritschius *d.l. part. 1. Exercit. 13. membr. 7.* Verum prior sententia mihi potior videtur; quatenus enim repressalia inter Status imp. adhibentur, eorum justitia deducenda est *ex tit. ff. quid quisque Jur.* & inde dependente retorsione juris iniqui. Quod jus retorsionis inter privatos juste exercetur Magistratus consensu, Berlich. *p. 3. Concl. 51. n. 30. Max. p. 2. decis. 59.* ergo & inter Status Imperatoris consensu pariter retorsioni & repressal. locus esse potest. Facit huc locus insignis de Bulla Brabantina ex *Cap. Leop. Art. 8.* ubi si per iniquas evocationes prætextu illius Bullæ Status quidam gravati fuerint, Imperator promittit, se ipsis mediante jure retorsionis auxilium præstitutum: Es soll denen durch gedachte Brabantische Bulla gravirten Ständen auf erfordernten Nothfall durch das jus retorsionis kräftige Hülffe geleistet werden. Hoc auxilium vero promittit solus Imperator, nec, ut aliorum Statuum consensus ad hoc accedat, Capitulatio exigit. Contra externos autem Principes, nullum est dubium, quin Statibus integrum sit, repressaliis uti etiam sine consensu Imperatoris, cum hic liceat eis bellum gerere, uti id demonstrat *Henr. Arn. a Landsberg d. dis. & Fritschius Exerc. 10. §. 84.*

§. XXIX. In pignorationibus atque arrestis concedendis non major quoque Principum nostrorum est licentia: *Vid. Cammer Gerichts Ordnung P. 2. tit. 22. R. 7. zu Regensburg Anno 1594. §. Die Mandata und Pfändungs Sachen &c. §. 5. seqq. Abschied des Deputations Tages zu Speyer Anno 1600. §. Weiter ist auch &c. 36. ita ut mandata sine clausula etiam contra pignorantem decerni soleant in Camera 7. R. de Anno 1570. §. Wann auch die Arresta 84. Illustr. Dn. de Rhetz Instit. Jur. Publ. l. 4. c. 13. per tot.* Quæ omnes tamen prohibitiones tantum de arrestis illicitis, & quæ fiunt sine causæ cognitione, intelligenda sunt. Alia autem arresta, quæ privatis indulgentur, aut de jure alias permessa sunt, quominus Principes quoque via facti decernere possint, nullum est dubium. Extat hac de re
cla

clarus textus in R. J. de anno 1594. §. Und so viel der unglei-
che &c. 81. qui cum omnes casus in quibus arresta licite de-
cernere Status possunt, contineat, integrum hic adducere
non pigebit: Und so viel die ungleiche Meinungen und Ver-
stand des Worts/ Arrest, und dahero eingefallene Streit bez-
langet / dieselbe zu entscheiden / wollen wir daß die Constitu-
tio arrestorum ad illicita arresta facti, quæ fiunt propria au-
toritate sine cognitione causæ, und die ihrer rechten Eigens-
schafft nach / wahre und in Rechten verbotene arresta genen-
net werden / zu verstehen / und ad licita de jure permessa arre-
sta, welche ratione contractus confessati, rei judicatæ, con-
ventionis, pacti, transactionis, consuetudinis, privilegii,
auch gewöhnlicher herbrachter Nachsteuer / Abzug / rechtmäß-
sig erlangten Zolls halben / sich zutragen möchte / nicht zu ex-
tendiren seyn / &c. Cæterum quomodo repressalia differant
a pignorationibus & arrestis Vid. Fritschius *d.l. memb. 5. p. 593.*
Gail. *de pignor. Obs. 1. n. 5.* Schütz. *Vol. 2. Exercit. V. th. 2. p. 268.* ab
androlephia item & clarigatione vid. Fritsch. *d. l.*

*An foederati
debitum
subsidiium
via fa-
cti a sociis
morosis ex-
torquere
possint?*

§. XXX. Porro hic disquirendum, si diversæ qua-
dam Resp. & status communi socientur & causa & periculo,
an, qui status communis tutelæ administrationem consensu
cæterorum arripiunt, a subditis cæterorum, qui licet actu
se non immisceant, suam tamen causam simul agitari ag-
noscant, tributa via facti extorquere possint, si detrimen-
tosa mora ea solvere differant. Et affirmative ad hanc quæst.
cum Ahasv. Fritschio *dict. l. p. 1. Ex. 6. §. respondeo*, ex ea præ-
cipue ratione, quod etiam Creditori privato jus atque debi-
tum suum occupare permissum, ubi periculum est in mora,
& judiciali via id obtineri, damnumque emendari nequit.
Unde igitur nec Principibus nostris id denegari poterit, cum
communis causa ex ejusmodi morosa solutione vel maximū
detrimentū incurrere possit; Pecuniā enim esse nervum bel-
lorum, & si desit, seditiosam rem esse, monet Fam. Strada *de
bell. Belg. l. 7.* Nec via juris debitam sumam ab iis erui consul-
tum

tum est, ne mora hac occasio bene gerendi elabatur, & communis incolumitas salusque publica periclitetur.

§. XXXI. Jam me confero ad viam facti permissam *In possessio-*
 favore possessionis tam rerum quam jurium. Et quidem in *ne jurium*
 superioritate sua territoriali Principes se non tantum contra *quid liceat*
 status alios, sed etiam contra ipsum Imperatorem via facti *Principi-*
 defendere possunt. Vulgatum enim illud, *judici de facto pro-*
 cedenti, de facto resisti potest, quorinus ad Imperatorem *bus?*
 etiam applicari possit, nihil prohibet. Cum enim Impera-
 tor vi Capitulationis suæ promiserit, se in præjudicium
 Electorum, Principum, Statuum, imo & Immediatorum Im-
 perii Nobilium nihil via facti suscepturum, *nicht selbst ver-*
 gewältigen / *solches auch nicht schaffen noch ändern zu thun*
verhängen / sed via juris ordinaria coram judiciis ad hoc
 constitutis processurum; Vid. *Cap. Leop. art. 15. Capit. Jos. art. 14.*
 sine dubio si hoc omiserit Imperator, & viam facti elegerit,
 Statibus Imperii pariter ut via facti se defendant, indulgen-
 dum erit. Ipse enim expresse Legibus Imperii fundamentali-
 bus sese adstrinxit, & quæcunque rescripta, Mandata, Com-
 missiones &c. contra eas impetrata fuerunt, ea omnia ipso ju-
 re nulla & cassata esse debere promisit. *Cap. Ferd. §. 30. his verb.*
Was vorgemeldeten Articulu zuwidern / das soll alles kraft-
loß / todt und abseyn / inmassen wir es hiemit cassiren / tödten
und abthun. Conf. Capit. Joseph. §. 37. in fin. Limæus ad A. B.
c. 5. §. 3. Obs. 5. & Obs. 10. Quod si ergo mandata talia nulla sint
 & viribus destituta, impune ipsis non paretur.

§. XXXII. Sunt quidem non pauci, qui nullo modo *Imperatori*
 Imperatori summove Principi contraveniendum esse existi- *de facto*
 mant, & quæcunque demum injusta a Principe suo patian- *procedenti*
 tur subditi, ea omnia tanquam casus fortuitos summa pati- *resisti po-*
 entia esse perferenda. Dn. Becman *Med. Polit. c. 19. §. 4. Dn. test.*
Puf. de J. N. & G. 7. 8. 9. Et inde quoque Dd. in hac quæstio-
 ne Judicem supremum seu Principem semper excipiunt, &
 subordinati injustitiæ resistendi facultatem solū largiuntur.

D

Quo-

Quorum sententiæ & ego quoque calculum addo, si agatur de subditis vere & proprie ita dictis erga suum Principem, & hic non nisi humilitatis & patientiæ armis eis contendendum esse puto. Alia autem longe ratio erit in Principibus nostris, qui sane cum subditis simpliciter ita dictis non poterunt comparari, cum feudali tantum nexu Imperatori teneantur, imperioque magis quam Imperatori subjecti sint. Quod vero subditis vulgaribus hæc resistendi facultas penitus sit sublata, inde oritur, quod hi in superiorem omne jus suum abdicative transferant, solamque parendi gloriam reservent sibi. Ziegler. *ad Grot. l. 1. c. 4. §. 2. n. 1. & seqq.* Quod quidem de Principibus nostris dici nequit, utpote qui & ipsi summi quasi imperii respectu subditorum suorum sunt participes, ipsique clavum regiminis universæ Germaniæ simul tenent, & statutis imperii magis per conventionem, quam jussu atque mandato Cæsaris adstringuntur. Ut adeo non dubitem, hanc resistendi facultatem Principibus nostris adserere, dummodo non ita crude sententiæ hæc accipiatur, sed circumspeditione quadam prudenti temperetur. Alias enim quæ non turbis atque dissidiis fenestræ aperirentur, si hoc adstrueretur simpliciter? cum quilibet, qui forte aliquo modo se læsum putaret, contra Imperatorem insurgere, & sanctam tam Judicii Aulici, quam Camerae autoritatem proculcare posset. Cautè itaque circa tam periculosam quæstionem ut procedam, sequentibus opus erit distinctionibus.

Quousque ei liceat resistere tanquam Imperatori. §. XXXIII. Aut enim Imperator tanquam Imperator, seu summum caput Imperii Germanici, ex assumpta plenitudine summæ potestatis procedit; & tunc vel ea, quæ alias ad Conventus universales Imperii debent referri, solus per se decernit atque promulgat, & hoc casu ei resistere Principes sine dubio possunt. Repugnat enim id directe LL. fundamentalibus, quæ omnia ipso jure nulla & cassata esse debere, ex ante adductis constat. Et hoc fundamento nititur præcipue justitia

tia belli illius, quod hoc, quo vivimus, seculo inter Imperatorem & Status exarserat. Cum enim Anno 1629. Ferdinandus II. edictum illud de restituendis bonis Ecclesiasticis sola ipsius autoritate contra Pacificationem Religiosam, Legem Imperii solennem, per Imperium publicaret, merito ei parere recusabant Status Imperii, petebantque, ut dignaretur Cæsar causam illam ad publicum Imperii concilium referre, & super ea sententias singulorum exquirere. Vel *ex eadem potestate jus*, quod contra Principem quendam habere prætendit, sine ulla judiciali via de facto prosequitur, atque sibi vindicat. Id quod cum expresse §. 14. Cap. Leop. refragetur, omnino Statibus de facto resistendi licentia non deneganda, per ea, quæ dixi supra §. XXIII.

§. XXXIV. Aut tanquam *Judex* eorum legitimus per Judicium Aulicum aut Cameram agit: & tunc vel *nullo servato juris ordine sine cause cognitione* aliquid decernit, & ei resisti poterit, mandatisque atque jussum ejus contraveniri. Conf. Vivius *D. 509. n. 2. 3.* Farin. *q. 32. n. 97.* Marp. *P. 2. C. 10. n. 104.* Et huc referri potest casus ille: quando subditi tributis, insolitis operis, nimia sævitia a Principe suo se gravatos dicunt, & intempestivis suis querelis Imperatorem ita fatigant, ut mandata inhibitoria decernat, priusquam Principem ipsum audierit, exigendo ab illo literas informatorias: & tunc Princeps licite hæc spernere atque executioni eorum de facto resistere potest. §. 17. Capit. Joseph. verb.

Und diweilen auch vorkommen/daß in Sachen hoher Lands- Fürstlichen Obrigkeit und Regalien ic. zu verschiedenen mahlen ad nudam instantiam subditorum, ehe und bevor Churfürsten und Stände darüber gebührend gehöret / mandata cum & sine clausula ertheilet worden. Als wollen wir verfügen / daß in solchen Fällen dem letzten Reichs-Abschied gemäß / die interessirte Churf. Fürsten / und Stände vorhin vernommen werden / bey dessen Hinterbleibung ihnen verstatet / und zugelassen werden solle / solchen mandatis keine

D 2

pari-

*Exemplum
incompe-
tentia.*

*Exemplum
injusti pro-
cessus.*

parition zu leisten. *Conf. §. 3. Add. Gail. obs. 17. n. 6. & Deckher. de proc. informativo c. 3. p. 56. Vel contra ordinem quidem processus nihil committit, sed tamen aut incompetenter, aut injuste procedit.* Utroque modo si incompetencia aut injustitia illa processus sit notoria, pariter quoque ejus edictis contraveniri, ejusque autoritas sperni potest. Vid. *Dyn. c. quod quis. num. 10. de R. J. in 6to. Zas. T. 6. C. 29. n. 3. Tusch. T. 4. L. 1. C. 413. Wef. P. 2. C. 100. num. 16.* Sic, si Imperator subditum mediatum ex territorio Principis ad iudicium suum evocare vellet, impune ei non pareri & subdito, ne pareat, injungi potest. Unde & ipsos nuncios, ejusmodi mandata insinuantes male exceptos, & nisi subito fuga se subtraxissent, præmii loco carcerem aliamve pœnam relatu-
 ratus fuisse, non uno exemplo constat. Pariter quoque quoad injustam procedendi rationem casus occurrit in mandatis sine Clausula, quæ in quatuor præcipuæ causis, *Ordin. Cam. p. 2. tit. 23. Roderiger Pand. Camer. 1. tit. 12. n. 12. & aliis specialioribus tantum casibus, quos vide enumeratos apud Knipschild de J. & P. Civ. Imper. l. 2. c. 33. n. 147.* tantum valide decernuntur. Si igitur Imperator in causa debiti, contractus, aut aliis casibus, in quibus, liquidum est, mandata S. C. locum non habere, hæc mandata contra Principem quendam decernat, ille sine dubio iis sese opponere, atque spernere ea impune potest. *Blum. Proc. Cam. Tit. 34. n. 22.* Sunt enim hæc mandata species executionis, a qua in processu extra casus antea exceptos incipere velle, injustitiæ genus esset maximum. Atqui hæc omnia licita erunt, si de injustitia aperte constat; In dubio tamen melius omnino agunt Principes, si causas, quare mandato sine clausula locus esse non possit, in Camera vel iudicio aulico deducant, vel exceptiones sub- & obreptionis opponant, quale quid permissum esse apparet ex *Rec. Imp. de Anno 1654. §. 76. & 77. Add. Gail. lib. 1. C. 14. n. 1. Mev. P. 6. Decis. 342.* Nisi forte damnum quoddam irreparabile, vel quod difficillime in priorem statum restitui potest,

potest, inde oriatur. Menoch. *R. R. P.* 1. n. 311. Bechtius *de secur. & salv. Cond.* c. 3. n. 169. Tusch. *T. 4. L. 7. C. 413.*

§. XXXV. Aut denique post sententiam rite pronunciatam executionem Imperator ipse instituere vult, & ei post sententiam pariter de facto ipsi resisti poterit. Quamvis enim executio illa sit justa, Executor tamen non est legitimus, cum illa in Imperio per Imperatorem fieri non debeat, sed tantum per Duces Circulorum. Vid. §. 25. *Cap. Jos. ibi: derselben executiones wollen wir nicht verhindern/abfordern oder verbieten.* Præcipue cum etiam privatis permissum, executorem, qui personam suam legitimare, aut mandatum, quo ipsi executio injuncta, ostendere non possit, vi repellere. Cort. Gabriel *de execut. C. 3.* Coler. *de process. execut. C. 1. num. 2.* Farin. *q. 32. num. 103.* Huc quoque referunt casum, si Princeps a sententia Imperatoris beneficium revisionis elegerit, illeque nihilominus tentet eam executioni tradi per se, vel per Duces Circulorum, posse ipsi de facto attentanti de facto resisti. Farin. *q. 32. n. 108.* Lancell. *de attent. pend. app. pref. n. 83. & seqq.* Et eo præcipue tendebant argumenta eorum, qui justitiam belli, quod superiori seculo Principes contra Imperatorem Carolum V. gesserunt, demonstravere: Cum enim Status a sententia Cæsaris vel Papæ ad Concilium universale appellassent, suspensam hic fuisse, ajunt, Cæsaris jurisdictionem; &, quamvis executionem tunc temporis adhuc habuerit, nihil tamen hic amplius potuisse eum facere ob interpositam appellationem, causamque ad Concilium universale devolutam. Hortleder *von der Rechtmäßigkeit des deutschen Krieges l. 2. c. 16.* qui plura circa has quæstiones collegit *l. 2. per tot.* quamvis hanc appellationem pro veretali non agnoscamus; Concilium enim ex veriori sententia non est superius Imperatore; pro statu tamen illius temporis aliud remedium non patebat Evangelicis. Illud hic superfluum esse puto, multis monere, quod eadem, quæ hic contra Imperatorem tanquam Judicem licita asserui, con-

tra Cameram quoque locum habeant, si ita de facto dicto modo procedat.

*Quousque
Principes
in juribus
suis seipso
defendere
possint.*

§. XXXVI. Jam me confero ad viam facti Principibus contra alios Imperii Status indultam, & quousque injuriam atque servitutem in alieno territorio competentium possessione via facti sese defendere possint. Id vero ut licitum sit, hæc necessaria erunt requisita: (1) Ut ille, qui sese defendere vult, sit in possessione ejus loci atque juris, in quo facta est turbatio. Observandum tamen, quod sufficiat, aliquem esse in possessione alicujus juris puta venandi, aut pascendi, etiam si alius Dominus sit in possessione loci, & dominium rei habeat, quia hæc separata sunt *L. Naturaliter. §. Nihil commune ff. de A. vel A. P. Gail. de pignor. observ. 3. n. 6.* (2) ut turbans illic loci, ubi sit resistentia, aliquid jurisdictionis aut novi juris sibi usurpare & acquirere velit. (3) Ut resistentia illa fiat in illo loco, ubi quis alterius jura turbat.

De jure Venandi

§. XXXVII. Sic moribus non raro Principi in alieno territorio jus venandi competit, Mylerus ab Ehrenb. *de Princip. & Stat. Imp. P. 2. c. 75. n. 13.* Imo interdum occurrit, quod duo Principes simul in una eademque sylva jus venandi habeant, unus quoad feras majores, alter quoad minores. Sixtin. *de regal. L. 2. c. 18. n. 55.* Et ideo quilibet intra præscriptos servitutis terminos sese continere debet; si secus fecerit, alter juste ei resistere, pignoraque ab eo capere potest. *Gail. de pignor. obs. 24. n. 7.* Qui enim habet jus venandi, tam in alieno, quam in proprio territorio, ille etiam habet jus Edicti & prohibendæ venationis & aucupii, vulgo *Gebot und Verbot des Jagens und Bogelfangens.* Morus *de jure venandi c. 3. n. 10.* Pariter quoque Domino via facti resistere potest, ne grandes arbores & frugiferas una vice excidat, & ad quæstum suum transferat, cum ita jus venandi multo deterius reddatur. *Vid. L. 20. §. Si servitus. & §. seqq. de S. V. P. L. 15. §. Proprietatis. D. de Usufr. L. 13. §. 1. D. de servit. P. R. L. 7. §. 12. D. solut. matrim. & c. Carpz., p. 2. C. 41. def. 2. num. f. Conf. Knipschild.*

schld de J. & P. Civ. Imp. l. 2. c. 7. num. 96. Ad viam facti quoque hoc loco referri meretur illa quaestio: Quousque feram, quam jam in suo persequi ceperat Princeps, in alterius territorio persequi liceat? Et plerumque distinguitur, an eam jam in suo vulneraverit, an non; hoc casu illud non licet, eique ingredienti alterius territorium armata manu resisti potest, arg. §. 12. f. de rer. divis. Medic. de venat. p. 1. Bene vero illo casu, ita tamen ut id fiat absque inflatu corniculi venatorii & incitatione canum, Sandrecht L. 2. art. 61. Richter decis. 16. §. 4.

§. XXXVIII. Idem in jure fluminum & piscationis sine dubio licebit, Seb. Med. tr. de venat. p. 2. q. 21. 22. & seqq. Inter quod notabile effertur jus grutiæ, quod Elector Sax. solus per omnia Ducum Saxoniae territoria in Sala exercet, quod monopolium justum esse defendit Dn. Ahasv. Fritschius de jur. Grutiæ c. 3. n. 25. Inde igitur ex antecedentibus patet, contra quemvis, qui eum in possessione sua inquietat, via facti eum uti posse. De quo jure Grutiæ vid. pluribus Klockius de arario l. 2. c. 15. Fritschius de jure Grutiæ & Stypman tr. de jure marit. & nautic. p. 1. c. 10. n. 95. & seqq.

§. XXXIX. Dum hic de venatione loquimur, liceat quoque Jus Wildfangiatus hic tangere, quod Elector Palatinus non tantum in suo, sed & in vicinis quibusdam Electorum, Principum, ac Episcoporum territoriis exercet. In quo sane non tantum pariter, ut in cæteris juribus, via facti sese defendere poterit, sed illa incidit quaestio: Si fugitivus quis in vicinis locis cecidit in pœnam Wildfangiatus, an Elector eum in numerum propriorum hominum cooptare via facti possit; an vero necesse habeat id cum autoritate Principis illius territorii facere? Et primum mihi per placet; cum nullibi id in privilegio dato requiratur, ut prius consensus Domini territorii impleretur, sed simpliciter eum sibi vindicare posse statuitur. Et inde quoque id erat inter præcipua Moguntini aliorumque Principum gravamina:

Du-

Durum, nec hodierno tempori satis conveniens esse, Statum unum tot juribus in vicinorum Statuum territoriis potiri, & ladi per id quam maxime superioritatem territorialem. Oldenb. *ad Instrum Pac. p. 1. disc. 26. §. 9.* Nihilominus tamen hoc casu in favorem Palatini pronunciatum est, & expresse in illo laudo discrimen constitutum inter personalia in personam seu corpus, & territorialia ex jure territorii competentia. Illa cum proprietate in corpora per privilegium Palatinū exercere, atque ex veteri jure & consuetudine circa proprios homines statuere posse. E. g. eos in numerum propriorum hominum recipere, florenum receptitium, & debitas operas exigere &c. Secus vero hæc. Oldenb. *d. l. p. 1. disc. 26. §. 12.* Conf. Dn. Imhoff *Not. Procer. Imp. l. 2. cap. 9. §. 29. & seqq.* Gafstel. *de Stat. publ. Europ. c. 4. p. 447.* Wehnerus *in thes. pract. sub voce Königs-Leute.*

*De via facti
circa vecti-
galia.*

§. XL. Præter dicta quoque, alia multa jura Principibus competunt, circa quæ idem ipsis permissum est, ex quibus principem locum meretur jus, quod circa vectigalia legitime quæsitæ habent. Ubi illud quidem extra dubium est, quod omnes eos, qui vectigalia defraudant, aut consuetam pecuniam solvere recusant, pignorarè, arrestare, & in persona & rebus detinere possint, Colerus *p. 1. c. 3. n. 74.* Et hinc quoque arresta ex causa vectigalis imposita a Constitutione arrestorum *de anno 1570.* publicata excipiuntur, nec mandata de relaxandis iis in Camera Imperiali decerni possunt. *Recess. An. 1594. §. Und so viel die ungleiche Meinungen. Mind. l. 1. de process. c. 40. f. 5. n. 6.* Denayf. *t. 1834. §. 5.* Id quod adeo verum est, ut, quamvis controversia sit inter duos Imperii Principes circa jus vectigalis exigendi, & alter alteri propter litem hanc non amplius, quam ex hac causa ei debetur, citra personæ ipsius injuriam, ademerit, pro pignoratione id habendum non sit, adeoque super Constitut. pignorationis, quæ habetur *Ord. C. p. 2. tit. 22.* mandata decerni non possint. *Rec. Deputat. A. 1600. §. Wann zwischen zweyen Partheyen. 38.*
De-

Denayf. tit. 183. Bechtius de securit. & salv. Conduct. c. 3. §. 63. Atqui hæc, quousque ipsis liceat jus suum legitimum vectigal exigendi defendere. Jam etiam videndum, quid juris, si vicinus Princeps injuste & de facto telonium erigat? Hic igitur sciendum, quod Imperator per se neque nova vectigalia concedere neque vetera augere possit, sed id cum consensu omnium & singulorum Electorum fieri debeat. R. J. de Anno 1576. §. Weiters sind wir auch. & §. seqq. §. 20. Cap. Jos. Anton. Coler. de jure Imp. Germ. conclus. 31. art. 18. Conring. de vectig. th. 12. Si quis E. contra dictam Constitutionem hoc jus usurpet, cuilibet, qui hoc novo telonio se gravatum sentit, competit facultas, via facti sese contra hoc onus defendendi §. 21. Capit. Joseph. verb. Und sol daneben einem jedweden Churfürsten / Fürsten und Stand / imgleichen der freyen Reichs Ritterschafft erlaubet seyn / sich und die Seinige solcher Beschwerden / selbst / so gut er kan / zu erledigen und zu befreyen. Neque vero hoc procedit tantum in novis erigendis, sed & in veteribus augendis; §. 20. nec ad vectigalia proprie dicta tantum restringitur, sed ad omnia quoque illa, quæ in fraudem hujus §. fiunt, pertinet, v. gr. Si Princeps aliquid de facto transeuntibus imponat, sub prætextu accisæ, Umbgeld / Pflaster / und Cento Gelder / Niederlage / Staffel / Berechtigkeitt etc. §. 21. d. Cap.

§. XLII. Sed jam hic illa quæstio non erit prætereunda: An Imp. in novis vectigalibus imponendis opus tantum habeat singulorū Electorum consensu, an præter eum etiam requiratur consensus Statuum adjacentium: ita ut hi huic telonio contra suam voluntatem cum consensu tamen singulorum Electorum concessio via facti sese opponere possint. Disputata fuit acriter hæc quæstio inter Bremenses & Comitem Oldenburgensem, Anthonium Guntherum, ob telonium ad visurgin erectum, quod Anno 1623. Ferdinandus II. consensu Electorum ei concesserat. Huic non tantum totum Collegium Civitatisense tunc temporis se opposuit, atque ejus remotionem variis protestationibus

E

urfit:

An Status adjacentes vectigali sine eorum consensu concessio via facti se opponere possint?

urfit: sed præcipue Civitas Bremensis hujus vectigalis exactioni summa vi atque animorum contentione repugnavit. Vid. *Theatr. Europ. Tom. 6. p. 656.* Verum Statuum vicinorum consensum hic non requiri puto, cum nullibi hoc in Constitutionibus Imperii fundamentum habeat. In *d. §. 20.* hoc quidem requiritur, ut vicini Principes, quos onera novi vectigalis præcipue premunt, audiantur, eorumque gravaminum ratio in concedendo eo habeatur; Wir wollen auch keinen Zoll von neuen geben etc. es seyn dann die benachbarte und interessirte Stände und dero erforderthes / auch in gebührende *Consideration* ziehendes Gutachten vorhero darüber vernommen. Sed ut eorum quoque consensus de necessitate adesse debeat, id sane nullibi exigitur. Et sic tantum abest, ut ii via facti telonia hæc destruere possint, ut ne quidem ea iterum via juris remove, aut privilegia immunitatis ab eis præterequeant. Et pro hac quoque parte in casu antea dicto pronunciatum est, ubi non tantum Comiti jus hoc vectigalis solemniter in *Instrum. Pac. art. 9.* confirmatum, sed & Civitati mandatum paritorium misit Imperator; quo accepto cum illa nondum desisteret, dictum Comitem Oldenburgensem in possessione juris sui armis inquietare, tandem Anno 1652. die 12. Octobr. Pragæ in bannum declarata fuit, eique pœna 200. marcarum puri auri indicta. Vid. *Theatr. Europ. Tom. 6. d. p.* Dn. Vitriarius *Instit. Jur. Publ. l. 3. tit. 4. §. 6.* Knipschild *d. l. l. 3. c. 4. §. 73.*

Quid juris
si flumen
cursum mu-
taverit.

XLIII. Alia adhuc incidit quæstio: Si flumen ad quod Princeps justo modo telonium habuit, pristinum alveum deferat, atque alio cursum deflectat, an in novo alveo vectigal illud via facti exigere etiam possit, an vero ad hoc prius opus sit consensu Imperatoris, Electorumque singulorum? Et negative hanc quæstionem in Parlamento Delphinatensi decisum esse, testis est Multz *de repres. Maj. Imp. p. 2. c. 16. num. 70.* Quæ sententia mihi dura videtur, cum nullum gravamen inde inferatur navigantibus, utpote, quorum

com-

commodo novus alveus infervit, E. & incommodum prius sustinere debent.

§. XLIV. Eadem licentia, quæ hic circa vectigalia *Directores* concessa est, competit quoque *Directoribus* cujusvis *Circuli* *pos-*culi, ut ubicunque in suo Circulo falsa moneta cuditur, ipsis *sunt via fa-*data sit potestas, ibidem irruendi, rem monetariam *prohi-* *cti falsam* bendi, omniaque instrumenta cum monetis auferendi, con- *monetam* fiscandique. *de anno 1571. §. Da der Münzherr. 22. sollen des-* *cudentes* *selben Kränß-Stände an unserer statt ihm dasselbig vorha-* *hoc jure* *bend ungeblührlich Münzwerck alsbald verbieten / niederle-* *privare.* *gen / alle materialia zu sich verwahrlich nehmen etc.* Nec necessum habent hic contra Status eos, qui pedem monetarum publicis Legibus præscriptum non observant, longo processu uti, sed statim executionem decernere, atque via facti sine ulla judiciali cognitione eos jure monetandi privare possunt: Citra ullam enim sententiam ipso facto excidunt jure suo illi qui contra monetales peccant Constitutiones. *d. §. 33. Capit. Jos. verb. und sich also ihrer Münz-Berechtigkeit ohne fernere Erkänntniß verlustig gemacht. Confer. art. 32. Capit. Jos. Id quod tam contra hos obtinet, qui jure monetandi non fruuntur, licet probam monetam cuderint; quam etiam contra eos, qui quidem ex concessione Imperatoris & Electorum id exercent, eo vero abutuntur, aliis id locando, vendendo, vel quovis alio modo concedendo, adimendo quid contra LL. Imperii de solita & præscripta bonitate &c. Ordin. Crim. art. 3. Käyser's Ferdinandi Neue Münz-Ordnung §. 175. seqq. R. J. de anno 1566. §. 187. & seqq.*

§. XLV. De fortalitiis, quousque ea tempore belli *An Princi-* ad sui defensionem occupari possint, dictum est supra. *Ulte-* *pes nostri* rius jam hic quærere liceat: An Princeps pacis tempore in- *fort alitia* consultis Statibus Imp. ejusmodi fortalitia possit exstruere? *sine consen-* Et fane in alieno territorio id nullo modo permissum esse, *su Impera-* *neminem latet, nec Imperator hanc potestatem aliis conce-* *toris ex-* *dere, nec ipse sibi sumere potest §. 13. C. Joseph. ibi: Jedoch solz truern pos-*

E 2

leit sint?

len und wollen wir weder in währendem solchen Kriege noch auch sonst in der Churfürsten / Fürsten und Stände / Landen und Gebiet keine Festung von neuen anlegen / oder bauen / noch auch zerfallene oder alte wiederum erneuern / vielweniger andern solches verstaten oder zulassen. Et inde si Imperator vel alius Status de facto fortalitia in territorio alterius extruat, ab illo via facti id iterum destrui posse, nullus dubito. Privatis enim cum id indultum sit, *L. 7. §. 3. quod vi aut clam. L. 27. pr. de S. P. V.* in simplice ædificio, quidni etiam Principibus nostris in ejusmodi fortalitiis, ex quibus damnum irreparabile, alterius provinciæ atque subditis inferri potest. *arg. §. 180. R. 7. de anno 1654.* Nec magis olim in propriis finibus licitum id fuisse, ex Constitutione Adolphi Imperatoris in Comitibus Norinbergenibus anno 1295. facta elucescit. *Vid. Specul. Suev. Ohne des Landrichters Urlaub. c. 234. von den festen Bauen &c. Add. Specul. Saxon. l. 3. c. 66.*

*Quid hodie
hic liceat?*

§. XLV. Sed an hodie id concessum sit Principibus nostris, controvertitur. Negant id Arnifæus *de jure Majestatis p. 2. c. 5.* Coler. *de Imp. Germ. Sect. 20.* Sed Stamlerus *de Reserv. Imper. §. 64.* judicium suum suspendit, ita tamen, ut in negativam sententiam magis inclinare videatur. Eadem cautione incedit Hertius *disp. de superioritate territoriali §. 11.* Rectius hanc sententiam affirmant Dn. Fritschius *de jure Fortalitorum c. 9. §. 17. & seqq.* Limnæus *ad J. P. L. 4. c. 8. n. 235. & seqq.* Mylerus *de Principibus Imper. c. 77. §. 3.* Bechtius *de securitate & salvo Conduct. c. 3. §. 48.* Fluit enim id ex superioritate territoriali, secundum quam cum jus belli atque armorum habeant, quare non etiam jus fortalitia extruendi? Et si privatus libere in suo fabricare potest, quidni etiam Princeps, id quod Praxis hodierna multipliciter docet *dd. Auth.* Atque hæc omnia etiam procedunt in ipsis limitibus provinciæ, in præjudicium licet vicinorum Statuum, modo propriæ regiones commodum atque securitatem inde habeant. Id enim ne privatis quidem denegatur, quo minus libere in suo ædificare

care possint, utut damnum inde sentiat vicinus. Vid. Dn. Præs. *disp. de damno rebus al. licit. illat. c. 2. §. 12. & seqq. & §. 67. & seqq.* Quod si vero aperte constet, Principem tantum in æmulationem aliorum munitiones erigere, ut vicinos ex eo impugnare possit, nec territorio ullum præsidium inde contingat, cautionem innoxiam ab eo hac super re petere possunt; Quam si ille præstare recuset, jure sese huic structuræ opponunt, & vel novum opus ei nunciare, Gail. *l. 2. Obs. 69. num. 18.* vel si hoc remedium minus securum, via facti atque armis eam iterum destruere possunt, Ziegler. *de Jur. Majestat. l. 1. c. 35. §. 12.* Petrus Anton. *de Petra de Potest. Princip. c. 8. num. 11.* Sicut & illo casu si quis territorii litigiosi, de cujus jure plures Principes inter se disceptant, possessionem nactus, id ita fortificet, ut manifeste ex eo appareat, velle illud sibi retinere, aliosque a jure suo excludere, idem potestatis iis in opponendo se huic operi via facti competere, experientia nupera in civitate Razeburgensi docuit.

§. XLVII. Sed an pari quoque modo milites conscribere sine consensu Imperatoris possunt? Secundum Recesus Imperii hoc negandum erit; utpote in quibus non tantum Cæsaris consensus *Ord. Cam. p. 2. tit. 15. R. J. de an. 1555. §. Wo sie aber etc.* sed & Ducis Circuli requiritur, *R. J. de anno 1564. §. Demnach so declariren 26. & præterea gravis atque probabilis quoque causa concurrere debet. d. R. de Anno 1555. §. Wo sie aber: 3. Myler. de Stat. Imper. c. 76. n. 4. Wahremund. ab Ehrenb. de fæd. l. 1. cap. 2. u. 56. Limnæus 4. J. P. c. 8. num. 246.* Sed & in his temperamento opus est, nec publica necessitas semper admittit, ut his regulis se conforment Principes, de quo inferius.

§. XLVIII. Jus fœdera pangendi an Principibus nostris inconsulto Imperatore competeret, disputabatur tempore Caroli V. & Ferdinandi II, quorum ille fœdus Schmalcaldicum, hic unionem improbavit. Vitriar. *J. J. P. l. 3. tit. 19. §. 137.* Sed hæc controversia hodie plane sublata, postquam

per *Instr. Pac. art. 8. §. Gaudeant.* jus hoc eis clare concessum est, uti verba ita se habent: Cum primis vero jus faciendi inter se & cum exteris fœdera, pro sua cujusque conservatione ac securitate singulis Statibus perpetuo liberum esto. Conf. *Cap. Jos. art. 10.* Et sic hodie tam inter se, quam cum exteris fœdera pangere sine dubio possunt; & quidem si ea contra Exteros tendunt, offensiva & defensiva indistincte; contra Imperium ejusve membra autem defensiva tantum. Myler. *de Princip. & Stat. Imper. c. 17. n. 11.* Conring. *disp. de fœd. §. 4.* Waremund ab Ehrenb. *de fœder. &c.* In omnibus tamen illa exceptio subesse intelligitur, ne fiant in detrimentum Imperatoris & Imperii. *d. §. 10. Cap. Jos.* Daß solche Bündniß nicht wider den regierenden Römischen Kaiser / noch wider den allgemeinen Land- Frieden und Münsterischen Friedens- Schluß seyn. *A. B. tit. 15. J. P. art. 8. §. 2.* Quamquam illud jam dudum in consuetudinem abiit, ut quidam Principum fœdere cum Suedis & Gallis implicentur, qui tamen ex longo tempore hostes sese aut amulos Domus Austriacæ tulerunt. Monzamb. *de Stat. Imp. Germ. c. 5. §. 8. in fin.* adeo ut quadraginta septem fœdera cum Rege Gallia eos contraxisse jam referat Bodinus *de Rep. l. 1. cap. 9.*

An alios in
protectionem
recipere possint?

§. XLIX. Ex dictis quoque liquet, posse Status vel se in protectionem alterius dare, vel alios in suam protectionem recipere, quæ communi nomine fœdera Clientelaria vocantur; cujus juris exempla quam plurima refert Knipschild *Priv. Civ. Imp. L. 2. c. 24. n. 11. & seqq.* Knichen *de jure territ. c. 5. n. 498.* Et quidem in protectionem recipere Principes nostri possunt omnes illos, qui ex justa causa ad eos confugiunt, dummodo non sint Status alterius subditi; his enim sine consensu veri Domini protectionem promittere nequeunt. R. J. zu Spener *de anno 1529. tit. Ordnung des Landsfriedens §. wie auch Churfürsten ibi: daß keiner des andern Unterthanen in Schutz und Schirm &c. R. J. de anno 1541. §. Und damit im heiligen 29. in fin. R. J. de anno 1548. §. doch*

doch soll kein Stand 28. &c. A. B. tit. 15. Conferantur quæ hac de re disputata in causa Electoris Moguntini contra Civitatem Erphurtensem, quod illa sese protectioni Ducum Saxonix commisisset, apud Gylman *symphor. tom. 1. part. 1. lib. 2. vol. 1.* Caspar Klockius *vot. Camer. relat. 169.* Fallunt tamen prædicta, quoties Dominus subjectos suos aut non potest aut non vult defendere; hoc enim casu tam subditi sine Domini consensu aliorum patrocinium implorare, quam Principes nostri licite eos recipere possunt. Sixtin. *Consil. Marp. vol. 3. cons. 8. num. 104. seqq.* Ziegler. *in commun. Conclus. §. Landsassiu. 98.* Deinde, quoque si qui ex speciali privilegio jus hoc eligendi Protectorem habent. R. J. *de anno 1555. §. Es soll auch / ibi und soll hiemit denjenigen / so hiebevör von Alters Schuß und Schirm Herrn anzunehmen gehabt / nichts benommen seyn.* Cæterum Imperatoris tanquam supremi Principis protectorio subditos mediatos subjicere se posse, omnes uno ore asserunt. Roslerus *de Protectoris Cæsareis c. 4. §. 5.* Gail. *obs. 34. n. 7.* Cardin. Tusch. *pp. conclus. 935. n. 2. lit. C. verb. confæderatio.*

§. L. Majoris momenti est, an etiam Status nostri apud exteros Reges vel Principes protectionem sine consensu Imperatoris quærere possint? Et pariter quoque hoc affirmatur: ex eadem enim generalitate, qua fœdera facere, etiam patrocinio alterius se committere, & hæc fœdera Clientelaria inire poterunt. Mager. *de advocat. arm. c. 6. n. 66. & seqq.* Limnæus *de jure Publ. l. 4. cap. 8. n. 50.* Ludov. Myler. *diss. de advocatia concl. 4. lit. b.* Wahremund, ab Ehrenberg *de fœder. c. 4. n. 15.* Höpping *de jur. Clientel. concl. 42. lit. C.* Præcipue cum per hanc Clientelam non se subtrahant Imperio, & Schirm-Gerechtigkeit keine Obrigkeit gebe *d. l. c. 7. n. 19.* Knipschild *de Civit. Imper. l. 2. c. 24. n. 41. & seqq.* Quanquam ut id non nisi in casu extremæ necessitatis fiat, Salus propria Principibus nostris satis persvadeat: quia sub dulci protectionis titulo Patronus potens semper jura

An se alius
in prote-
ctionem
dare pos-
sint?

Clie-

Clientis sui paulatim ita delibat, ut tandem in servitutum & subjectionem eum redigat. Mindan. l. 2. de process. c. 14. n. 2. Knipschild. d. l. l. 2. c. 24. u. 44.

Electores pro lubitu Dietas Electorales instituunt. §. LI. Illud speciale est privilegium Electorum, quod illi conventus seu Dietas Electorales pro lubitu, irrequisito Imp. instituere possint. Quod quidem in A. B. c. 12. singulis annis una vice, & tantum in Civitate quadam Imperiali permissum; sed hodie tam locus quam tempus ipsorum arbitrio relictum est. Idque non tantum sine consensu Cæsaris, sed etiam eo invito facere ipsis licet, ita ut ei vi id impedire tentanti vi resisti posse, dubium non sit. Expresse enim promisit in Capitul. Jos. §. 6. Daß wir auch nicht verhindern / noch irren / und derothalben keine Ungnade Widerwillen gegen ihuen sämptlich oder sonderlich schöpffen und empfangen wollen. Bœcler. in Notit. Imper. l. 6. c. 2. p. 86. Author der Grundfeste l. 1. c. 2. p. 16. & 17. Quo loco idem quoque circa Conventus Circulares concessum Statibus, dummodo hi non alia negotia, quam quæ ad eorum Circulos spectant, ibidem in deliberationem deducant. Rutg. Ru-land. de Commiss. l. 5. c. 4. part. 2. num. 54.

Atque electionem novi Regis Romanorum suscipiunt. §. LII. Magis speciale adhuc illud Electorum jus est, quod, quoties Electionem novi Regis Romanorum suscipere volunt, id non tantum non consentiente, sed dissentiente etiam Imperatore facere possint. §. 35. Capit. Jos. verb. mit oder ohne desselben consens. Et quamvis alias denegatio transitus per alterius terras non pariat statim justam bellorum causam inter eos etiam, qui summa Majestate gaudent, & jus armorum atque belli sine ulla restrictione exercent; notabilem tamen hoc admittit limitationem

An hic transitum via facti seu armis facere possint? in Electoribus, quoties ad dictam Electionem proficiscuntur, ubi jure suo ab omnibus per quorum transeunt territoria, non transitum saltem, sed & salvum Conductum & securitatem exigunt, id quod eis sub gravissimis pœnis denegari nequit, Dietrich ad A. B. tit. 1. verb. conducere tenetur p. 15.

My-

Myler. *in addit. ad Rumelin. dissert. ad A. B. 2. th. 2.* Hic igitur si quis auderet eis in itinere illo impedimentum aut insidias tendere, eo minus dubito asserere, posse Electores via facti sibi per illud territorium transitum facere, & resistentem (præcipue si non sit ex numero Electorum) vi atque armis repellere, quo magis cuilibet privato contra cives & communitates ejusdem criminis reos hæc concessa est licentia in *cap. 1. A. B. §. 2.* cujus verba ita se habent: *Deinceps cuilibet hominum AUTORITATIS PROPRIA & SINE JUDICIO seu invocatione Magistratus cujuslibet impune licebit eos invadere, nullamque pœnam propter hoc invadens ipsos debet ab Imperio vel quovis alio formidare.* Conf. Rumelin. *ad Aur. B. dis. 2. th. 3. & 4.* Arumæus *ad A. B. disc. 1. & §. 13.*

§. LIII. Illa quoque quæstio a Dd. hic movetur, an *An Status Status vicini Principis exercitui transitum per suum territo- nostri tran-* rium concedere possint, irrequisito Imperatore? Et ple- *situm Exer-* rumque id affirmatur. Cum enim ex allatis constet, com- *citui extra-* petere ipsis respectu Extraneorum jus belligerandi, Li- *neo sine* mnæus *l. 4. tit. 8. num 247.* Mager. *de advoc. arm. c. 11. n. 254. consensu* sine dubio hoc jus eatenus eis erit concedendum, quatenus *Cæsaris da-* hi milites pariter contra Extraneos, non contra Imperium *re possint?* ducuntur. Accedit, quod præsumtio pro eis, proque superioritate eorum tamdiu militet, donec Imperii constitutionibus, aliove modo regale quoddam ipsis denegatum demonstretur. Vulgo quidem hic adducitur *R. J. de anno 1559. §. 40.* ibi: *Daß keinem fremden Potentaten einiger Muster-Platz / oder seines Kriegeres-Volcks beschwerliche Durchzüge zu verstaten / sed ad hunc textum, quod regeatur, in promptu est; loquitur enim de Principe extraneo, & de toto Imperio, per quod Imperator solus transitum concedere non potest, non vero de Principe Imper.*
transitum petente.

CAPUT II.

De

VIA FACTI PRINCIPUM
INTUITU SUBDITORUM.

§. I.

An via facti
de Principis
bus respectu
subditorum
adscribi
possit?



Subditi
Principem
suum coram
Austregis
convenire
possunt.

Actum præcedenti capite, quid Principibus Imperii permissum, si his cum aliis intercedat negotium. Sed cum in §. 8. in fin. promiserim, viam facti etiam intuitu subditorum quandoque considerari posse, brevibus de hac materia præsentis capite dispiciendum. Quamvis enim intuitu subditorum suorum plena superioritate gaudeant, & hinc quicquid contra subditos suscipiunt, non de facto, sed jure sibi competente fecisse censeantur, quippe Principes ipsi hic Judices sunt, ubi vero alius judex non datur, ibi quoque via facti in sensu nostro proprie sibi locum non vindicat, de quo dictum cap. præced. §. 7. Interim etiam si Principibus Imperii cum subditis negotium intercedat, judicio tamen aliquando & hic opus est. Nam secundum LL. Imperii negari nequit, quod ipsis subditis licentia competat, Principem suum ex justa causa coram Judicio Austregarum conveniendi, ob verba *Ord. Cam. p. 2. tit. 4. in fin.* Und sollen solche Austräge &c. auch mit den Bürgern / Bauren und andern Unterthanen gegen den Fürsten und Fürstmäßigen statt haben. Quæ verba non commode alio sensu accipi poterunt, quam subditos Principem suum coram Austregis convenire posse: cui sententiæ suffragatur *Blum. Process. Cam. tit. 27. n. 62. Mindan. de Process. l. 1. c. 17. num. 9. Gail. 1. obs. 1. n. 18. Mynsing. Cent. 5. obs. 1. n. 2.* Quod in specie in Recessibus Provincial. Marchiæ ita provisum, teste *Scheplitzio ad Consuet. Brandeb. p. 2. tit. 4.*

§. II. Sed

§. II. Sed an forum hoc reciprocum sit, adeo ut etiam *Ubinam*
 Principes, si contra subditos jus suum persequi velint, *Principes*
 eodem foro illos convenire possint aut teneantur, de eo *subditos*
 allegati Dd. sententiam suam non exposuerunt. Sane Au- *suos con-*
 stregarum forum ad subditos reos plane non pertinere, eo *veniant?*
 certius esse puto, quo clarius ex Constitutionibus Imperii
 constat, solis immediatis Imperii Civibus Austregas conces-
 sas esse, per *Ord. Cam. tit. 2. 3. & 4.* Vor welchen Richtern / die
 dem Reich ohne Mittel unterworffen / ein ander zu Recht for-
 dern sollen. Ad Cameram Imperii hoc casu Principem recur-
 rere debere, Cameralistæ asserunt *Gail. lib. 1. obs. 1. n. 18.* Myn-
 sing. *cent. 5. obs. 1. num. 1.* Plerique hic statuunt, Principes in
 sua causa judicandi licentiam habere, arg. *L. 41. D. de hered. in-*
stit. Hilliger. *ad Donell. l. 17. c. 2. lit. B.* Dn. Struv. *Syntagm.*
Exerc. 4. th. 56. quod usu plerorumque locorum approbatum,
 ubi Principes subditos suos ad Dicastrium suum evocant,
 & ibi per Procuratorem Cameræ aut Fisci contra ipsos ex-
 periuntur.

§. III. Non itaque id in controversia remanet, an *Principibus*
 Princeps contra subditos officium non facientes, aut debita *contra sub-*
 ex contractu, aliove quodam nexu oriunda non solventes *ditos non*
 jurisdictionem Imperatoris aut Cameræ implorare tenea- *via facti*
 tur, an vero de facto procedere, & ab ipsis, quæ desiderat, ex *sed via juris*
 torquere possit. Sed de hac via facti in præsentis disquiro, qua *utendum.*
 Princeps processu contra subditos ne quidem in suo Dica-
 sterio opus habet, sed via executiva illos ad officium faci-
 endum compellere potest. Regulariter enim & Princeps
 subditos suos jurium beneficiis non privare, sed ipsos potius
 audire, & ubique via juris procedere tenetur. Sicut enim
 ipse Imperator promittit, quod, si contra omnes vel singu-
 los Statuum, vel etiam Nobiles immediatos quicquam præ-
 tendat, se nolle contra illos via facti, sed via juris procede-
 re, Er wolle sie nicht selbst vergewältigen / sondern vor die
 ordentlichen Gerichte zu Verhör und gebührlichen Rechten

stellen und kommen lassen / *Cap. Leop. art. 15.* Ita quoque Principes nostri & hoc passu Imperatorem merito imitantur, eaque propter sine prævio processu contra subditos suos rarissime experiuntur: Digna enim Majestate Principum vox est, Legibus se allegatum profiteri, *L. 4. C. de LL.* eaque propter nec contra LL. præscripta a subditis suis quicquam extorquere debent. Et huc pertinet *Ord. Dicasterii Electoratus Pomeranici de anno 1683. tit. 31. §. 6.* ubi causæ inter Principem & subditos coram Commissariis amicabiliter componendæ; quod si causa amice componi nequeat, constitutum ibidem: *Es soll die Sache für unsere zum Gericht verordnete Rätche/ denen wir in diesem Fall die Eyde / damit sie uns verpflichtet/ erlassen wollen/ gerichtlich / bis zum endlichen Beschluß ausgeübet / und nach Beschluß der Sachen durch die Gerichts- Rätche / und die so von der Landschafft beschrieben / oder von unserm Gegentheil zu adjungiren gebeten/ in derselben Sache vor sich / oder mit Rath Rechtsgelehrter/ was recht und billig / ertheilet und gesprochen werden.* Illam E. viam facti hic intelligo, quando sine processu contra subditos procedere potest Princeps.

*De Dominio
Eminentis.*

§. IV. Et huc eminenti quodam modo spectant omnia illa jura, quæ ex dominio supereminenti fluunt, secundum quod urgente necessitate reip. subditos ipsos eorumque bona, quibus præsens tempus maxime opus habet, ad usos publicos sine ulla juris via arripere atque applicare queunt. Cujus justitia in eo præcipue latet, quod bonus Civis ad bonum publicum totis viribus conniti, publicæque utilitati privatam semper postponere teneatur: Et dum subditi in Principem Imperium regimenque Civitatis contulerunt, sine dubio quoque ea omnia concesserunt, sine quibus obtineri bonum commune non potest. *Puf. de J. N. & G. l. 8. c. 5. num. 7.* Et hoc dominium non pro objecto tantum habet res singulorum, sed etiam ipsos cives. Nam tempore belli, ut loco & causa totius civitatis pauci aliqui, iique inviti obsides

den-

dentur, non jure belli, sed hoc, de quo loquimur, supereminente videmus expediri, *Ziegler. ad Grot. l. 1. c. 1.* Sic si civitati per minas aut literas diffidatorias fuit denunciatum, totam urbem incendio perituram, ni Civem certum a se eliminat, hic sine dubio vi ejusdem dominii, sine ullo suo delicto, juberi potest exire urbe, ut illa ab instanti periculo liberetur. Arduam quoque illam quaestionem, an deditio innocentis unquam jure supereminentis dominii defendi possit, vid. *Ziegler. ad Grot. l. 1. c. 1.* Pariter quoque quoad res subditorum, si imminente bello exstruere propugnacula, dilatate fossas, aut urbem aliis munitionibus circumcingere necessum sit, subditorum agros, hortos atque bona nulla habita juris via Principes nostri occupare possunt: instante obsidione arbores, aedes, totaque suburbia licite destruere, & si aliter hostem a suis territoriis repellere nequeunt, conculcare segetes, atque vicos, agrosque eorum devastare. Sic urgente fame privatorum granaria recludere, urgente necessitate alia, depositam publice pecuniam aut Gazam privatorum invadere licite possunt. Hoc tamen ita omne intelligendum est, ut pretium quod ultra ratam partem suam Domini harum rerum ita amittunt, de publico aut ex collatione civium caeterorum, eis restituatur. Vid. *Puf. d. l. Frid. Horn. de domin. eminent. l. 2. c. 3. Vitriar. J. P. l. 3. tit. 19. §. 71.*

§. V. Huc quoque pertinent sententiae ex plenitudine potestatis profectae, vulgo die *Macht-Sprüche*; quanta ex plenitudine De sententia ex plenitudine attento jure & ordine recepto, vi eminentis Dominii inter potestatis partes pronuntiat. Dn. Muller *disp. de sententiis ex plenitudine potestatis profectis c. 3. §. 2.* Locum habent haec praecipue, si lis magno tempore durasset, & adeo intricata sit, quod facile expediri nequeat. Decius *cons. 445. n. 2.* Vel si dissensio sit inter personas insignes, ex qua resp. turbari, aut alias scandalum publicum oriri possit. Farinac. *q. 107. n. 1.* Gail. *de pace publ. l. 2. c. 17. n. 9. & 10.*

*In delictis
manifestis
Princeps
via facti
procedit.*

*De adul-
terina
moneta.*

§. VI. Ulterius quoque in omnibus factis subdito-
rum, de quibus ita aperte constat, ut nulla probatione indi-
geant, & quæ omni jure sunt prohibita, ut nullo modo ju-
stificari possint, Principes via facti procedere, atque, nullo
observato juris ordine, executionem decernere possunt.
Sic si cuidam Civitati Municipali competat jus monetandi,
illa vero quovis modo eo abutatur, Princeps territorii sta-
tim monetas has omnes adulterinas ei auferre, atque sine
ulla ulteriori causæ cognitione, jure hoc eam privare potest.
Ipso enim jure, citra omnem sententiam, excidit jure suo hæc
Civitas, uti expresse ita sonant verba §. 33. *Cap. Joseph.* Und
sich also ihrer Münz-Gerechtigkeit ohne fernere Erkänntnuß
verlustig gemacht. Imperii quoque constitutionibus sub
gravissima confiscationis pœna sancitum est, ne aurum & ar-
gentum, vasa argentea, Ducati probi, aurum Rhenanum si-
gnatum e finibus Imperii evehatur, vel etiam improbata
moneta inducatur *R. J. zu Augspurg de anno 1551. §. im Fall
aber 45. seq. Neue Münz-Ordnung de anno 1559. §. Nachdem
auch durch etliche 206. R. J. zu Regenspurg de anno 1594. §. Die-
weil auch durch die Ausführer 104.* Quilibet E. Princeps
in suis territoriis hos, qui improbam monetam in provinci-
as inducunt, persequi, atque res has illicitas auferre eis sine
processu potest ac debet. *Deputations-Abschied zu Franck-
furt de anno 1571. Aber damit den II seq. R. J. de anno 1594. §. Die-
weil auch durch 103. Vid. Goldastus de re monet. tit. 52.
Schutz. vol. 1. Exerc. 4. th. 24. lit. H. p. 288.* Curare enim debent
per se, absque circulari concluso, ne moneta falsa in eorum
territorio introducatur. *Denais. de jure Camer. tit. 192. n. 20.
& 47. Klockius de arar. l. 2. c. 84. n. 64. & seqq.* Quod si tamen
quis monetam prohibitam hoc sine secum ducat, non ut
quasi probam exponat, sed ut illam ad Monetarium Prin-
cipis illius, qui jure monetandi instructus, deferat, extra
crimen hoc erit, *arg. Edicti monet. al. de anno 1559. §. 170.*

§. VII.

§. VII. Imo ut brevibus multa complectar, in omni-
 bus illis casibus, ubi mandata sine Clausula locum habent
 in aula Cæsarea vel Camera, Princeps quoque via facti pro-
 cedere potest. Sunt enim hæc mandata nihil aliud, quam
 sententia iudicis, quam seposita omni ordinaria juris via
 pronunciat, & ab executione contra non auditum proces-
 sum incipit. Inde quoque in certis tantum casibus ea de-
 cerni licite posse, constat, inter quos quatuor casus præci-
 pue eminent, qui vulgo die vier Fälle vocantur, qui expri-
 muntur in *Ord. Cam. p. 2. tit. 32. Mind. L. 2. de Mand. c. 16. Gail.*
L. 1. obs. 13. num. 1. Extra hos quatuor in quibus præterea lo-
 cum habeant, vid. *Blum. process. Cam. art. 34. num. 35. & Gylman*
sub voce: Mandat. sine claus. conf. supr. c. 1. §. 34.

§. VIII. Porro omnia regalia, atque jura superiori-
 tati territoriali annexa, Principes nostri libere, sine contra-
 dictione subditorum exercere possunt, adeo, ut opus non
 habeant Status Imperii, contra subditos inobedientes per
 modum actionis procedere, aut auxilium Imperatoris im-
 plorare, sed ipsi via facti, seu propria autoritate se in supe-
 rioritate sua defendere, & jura inde descendencia exercere
 possint, quemadmodum verba §. 7. *Capit. Joseph.* id dilucide
 satis ostendunt: *Massen dann auch Churfürsten / Fürsten*
und Ständen zugelassen und erlaubt seyn soll / sich nach Ver-
ordnung des Reichs Constitutionen bey ihren hergebrachten
und habenden Fürstlichen juribus, selbst / und mit assistentz der
benachbarten Ständen / und wider ihre Unterthanen zu main-
teniren / und sie zum Gehorsam zu bringen. Et inde etiam
 inter justas causas, ob quas Principibus in Imperio bellum
 gerere liceat, relata est supra rebellio & seditio subditorum,
 quos inconsulto Imperatore armis domare, & in suam pote-
 statem reducere possunt: adeo, ut, si ipsi ad hoc viribus suf-
 ficientibus instructi non sint, vicinorum Principum copias
 auxiliares in subsidium ducere possint, per *d. art. 7. Cap. Jos.*
 In illo itaque cauti sint Principes, ne de subditorum insolentia

*De manda-
 tis sine
 Claus.
 Omnia re-
 galia libe-
 re exer-
 cent, & in
 iis seipso-
 s sunt.*

tia coram Imperatore querantur; si enim ibi litem detulerint, postea ad arma confugere non possunt, sed sententiam Judicis ad finem usque expectare debent, id quod innuunt verba seqq. *d. art. 7.* Da aber die Streitigkeiten vor dem Richter mit Recht befangen wären / sollen solche aufs schleinigste ausgeführet und entschieden werden.

A superioritate territoriali Imperator neminem eximere potest.

§. IX. Cœterum in hoc superioritatis territorialis libero exercitio LL. publicis adeo muniti sunt Principes, ut non tantum subditis hic sola obsequii gloria sit relicta, sed & nec ipse Imperator subditis Statuum ullo exemptionis aut immunitatis privilegio succurrere possit per *Cap. Leop. art. 3.* ibi: Seine Landsassen Unterthanen / und mit Lands: Fürstlichen / auch andern Pflichten zugethane Eingeseffene / und zum Land gehörige von deren Gottmäßigkeit und Jurisdiction, wie auch wegen Lands: Fürstlicher Hoher Obrigkeit / und sonst Rechtmäßigen hergebrachten Respective Steuern Zehenden / und andern gemeinen Bürden und Schuldigkeiten / weder unter dem prætext der Lehnherrschaft / noch einigen andern Schein / eximiren und befreyen. Ubi quidem controvertunt, quid sub illis verbis, unter dem prætext der Lehnherrschaft / intelligendum? Probabilis illa sententia est, quod verba hæc capienda hoc sensu, ne vel Imperator sub prætextu, quod sit Dominus feudi mediatus, Ober: Lehnherr / vel quod ille subditus Principis alibi feudum immediatum ab Imperatore recognoscat, sicut in Nobilibus immediatis, qui Domicilium sub certo Principe constituerunt, usu venire potest, eximere ab obsequio territoriali nolit. Ob quam causam contingit etiam, quod, si Imperator subditum alicujus Principis ad illustrem dignitatem evehat, hoc præjudicare non debere Domino territorii, promiserit in *Cap. Josef. art. 43.* Soll auch durch eines oder andern unter Churfürsten und Ständen des Reichs gefessenen und begüterten zu höherer Standes Erhebung / dem juri territoriali nicht nach

nachtheilig seyn/ und in solchen Landen gelegene Güter ei-
nen als dem andern Weg unter voriger Landes- Fürstlicher
jurisdiction verbleiben.

§. X. Ad hanc superioritatem vero etiam jus indicen- *Jus colle-*
di collectas pertinere, extra controversiam est. Et quamvis *ctandi libe-*
distributio Collectarum in multis Provinciis Statibus relin- *re exercent.*
qui soleat, qui ex illa concessione a Principe impetrata ple-
rumque sibi vindicare cupiunt absolutum jus circa colle-
ctarum distributionem & administrationem, adeo ut Prin-
cipem omnibus modis exclusum cupiant sub prætextu: Es
wären Landes- Steuern/ darüber die Stände allein zu dispo-
niren hätten. Cum tamen illa dispositio, uti exempla varia-
rum Provinciarum hucusque docuerunt, plerumque in pri-
vatum administrantium commodum tendant, qui quasi in
mercato habent tributa, daß sie mit den Steuer- Capitalien
eine Handlung treiben / quid pro quo davor geben/ und den-
noch bey der Steuer alles vor voll anrechnen / merito, si dis-
pendium Reipublicæ hic versari advertant Principes, suo
jure utuntur, & administrandi rationem aliam, quæ Reip.
utilior, inducunt. Sicut hoc ex parte provisum in *Cap. Leop.*
art. 3. ubi Imperator promittit, se nolle concedere, daß die
Land- Stände die Disposition über die Land- Steuer / deren
Empfang/ Ausgab- und Rechnungs- Receptirung/ mit Aus-
schliessung des Landherrn private vor und an sich ziehen/
oder in dergleichen und andern Sachen / ohne des Landes-
Fürsten Vorwissen und Bewilligung / Conventen anstels-
ten &c.

§. XI. An itaque Princeps modum collectandi prio- *An accisam*
rem penitus immutare, & accisam introducere valeat, pau- *introducere*
eis exponendum. Dupliciter autem hoc potest intelligi. *possint?*
Aut enim hic quaritur, an sine consensu Imperatoris, reli- *An sine Im*
quorumque Statuum Imperii id ipsis permissum sit, & affir- *peratoris*
mativa sententia sine dubio præponderat. Jus enim colle- *consensu?*
ctandi atque tributa injungendi ad regalia pertinere, & cum

G

supe-

superioritate territoriali connexum esse, omni dubio caret. Lofæus *tract. de jure universit. p. 3. c. 9. num. 2.* Knichen *de sublimi territ. jur. c. 3. num. 108.* Sixtin. *de regal. l. 2. c. 14. n. 21.* Sed dices fortasse: Speciem vectigalis esse Accisam, quod cum superioritate territoriali non conjunctum, atque expressis verbis in *Cap. Joseph. §. 21. verb. Unter dem Namen Accis, Umbgeld/ &c. interdictum.* Sed Resp. in *d. §.* illa Accisa intelligitur, quæ mercibus transeuntibus imponi solet, was auf durchgehende Wahren geleyet ist / quæ in effectu a vectigali plane non differt, sed æque gravat vicinos, & hinc merito in Capitul. interdicta, utpote, cum per illam fraus fiat Legi, de non introducendis novis vectigalibus absque Imperatoris & Electorum consensu *d. §. 21.* Quod vero attinet Accisam Provincialibus impositam, illa expressis verbis ab hac prohibitione excipitur in *eodem §. verb. doch den unmittelbaren Reichs-Städten auf ihre angehörige Bürgerschaften wegen der Consumptionen etwas ohne Verührung / Schaden oder Nachtheil der Frembden zu schlagen/unbenommen.* Quamquam autem negari non possit, Accisa hac gravari tam Exteros quam Cives; hoc tamen fit per consequentiam, quatenus commodis ejus loci, & illi fruuntur, & ibidem contrahunt, aut quid emunt. Accisa enim nihil aliud est, quam pars pretii, *Castrenf. consil. 42. part. 2.* atque onus ab eumentibus præstandum, *Cavall. spec. commun. opin. quest. 733. Mastril decis. 87. num. 14.* Dum igitur Extranei contractum ibi celebrant, subditi temporarii hoc respectu quoque dicendi sunt, & ita ad Gabellam hanc solvendam per consequens tenentur, *Henric. Klockius de vectig. concl. 11. per tot. Gylman. Sympher. tom. 1. tit. 2. vol. 1. n. 100.* Quemlibet enim ratione contractus forum sortiri, & consuetudinibus loci obligari, cuius ex *L. 6. ff. de Evidt.* notissimum est. Vid. *Gabriel. comm. conclus. lib. 6. tit. de consuet. concl. 2. num. 4.* Conf. *Knipschild de J. & P. Civ. Imper. l. 2. c. 19. num. 7.* & *Klockius de vectig. d. l.*

§. XII. Plane diversa a priori quæstio est, an Principes nostri eam quoq; non consentientibus imo contradicentibus Subditis introducere possint? Et pariter pro affirmativa pugnat ipsa salus Reip. Sane tributa a Subditis suis pro necessitate Reip. exigere, atque hoc nomine de bonis eorum certam partem decerpere posse Status Imperii, ex antedictis constat, ita ut, cui competit jus superioritatis territorialis, ei quoque competat jus collectandi per *R. J. de anno 1654. §. 180.* Hæ autem collectæ quomodo faciliori modo colligi possint, Dominis territoriorum sine dubio relinquitur, qui adeo, habita ratione publicæ utilitatis, tributa aliaque onera tollere, eorumque loco accisam inducere possunt. Argumenta eorum, qui Principem sine consensu Subditorum eam imponere posse negant, præcipue desumpta sunt ab ejus injustitia, quod pauperes eandem cum divitibus gabellam solvere teneantur, & Laici æque ac Clerici, Cives ac Exteri æqualiter per eam onerentur; ideoque tanquam rem odiosam non facile esse admittendam, existimant. Verum, qui hæc urgent, veram accisæ indolem nondum penetrant. Imponitur enim hæc rebus consumtibilibus, qui ergo parum consumit, parum publico confert. Qui vero liberaliter impensas facit in quotidiana vitæ subsidia, & cæna Platonica contentus esse non vult, ab illo etiam, ut plus conferat in commune ararium, juste exigitur. Quod si insuper rebus ad luxum & superbiam pertinentibus majus quippiam accisæ nomine imponatur, justitia hujus exactiois erit manifesta. Conf. *Molin. de justit. & jure disput. 669. Lesl. de justit. & jur. c. 33. dubii. 7. num. 50. & seqq.*

§. XIII. Sed quid dicendum de illis territoriis, ubi Principes per Recessus Provinciales tributa exigere pro lubitu nequeunt, nisi convocatis Statibus Provincialibus, ab iisque impetrata certa summa, an ibi quoq; accisam, in vitis & relictantibus iis imponere possit? Sunt quidem hæc pacta Leges fundamentales Provinciæ, ad quas in susceptione regimi-

An sine consensu Statuum Provincialium?

Declaratio in exemplis

Quid? si recessus Provinciales obstant?



nis sese Princeps quoque obligavit, ut hinc sine necessitate ab iis discedere non possit. Quod si tamen videat, usitato contribuendi more salvam conservari non posse Provinciam, & Status Provinciales magis privata, quam publica utilitate abrepti suffragiis suis eam comprobare nolint, via facti, neglecto horum consensu, accisam introduci posse a Principe, nullus dubito. Salus enim Populi Principibus quoque nostris suprema Lex est, & quæ huic fini inserviunt, per translationem Imperii subditi quoque in eos contulerunt. Nec resistent illa ratione jura Statuum Provincialium, & cum his inita pacta; nam hæc ex necessitate promovendi salutem publicam, perpetuam recipiunt limitationem.

*Declaratur
id exemplo
Marchie
Brandenb.*

§. XIV. Illustre hujus rei exemplum præbet Marchia Brandeburgica. Ad incitas enim illa fere redacta erat ob tot onera publica pro conservatione Status Electoralis, & alendo milite necessario eroganda. Ex Recessibus Provincialibus jus quæsitum erat Statibus, quoad liberam collectarum distributionem, secundum normam agris & ædibus dudum præscriptam. Videbat Serenissimus Elector Fridericus Wilhelmus Magnus, gloriosissimæ memoriæ, Provinciis suis pereundum esse, nisi alio collectandi genere ipsis consuleretur. Nam pleræque Civitates desolatæ erant, ædes possessoribus vacuæ ubivis deprehendebantur, & oneri unusquisque reputabat, domum in Marchia habere. Proponebatur ergo Statibus, & consilium, quomodo panoletriæ totius Provinciæ succurrendum, expetebatur: Verum cum illi insisterent juri suo in distribuendis collectis ex more recepto, & ut Princeps militem dimitteret, rogarent, hoc vero ne fieret, salus totius Imperii exigeret; tandem ipse Sapientissimus Elector, neglectis Statuum querimoniis, saluberrimo consilio accisam introduxit, atque hoc ipso desolatas urbes suas Civibus & ædificiis auxit, ac tanto splendore restituit, quo antea nunquam visæ: fecitque pariter,

ter, ut, quæ antea magnis impensis per executionem militarem lacrymantibus subditis extorquebantur tributa, jam sine incommodo sensim præstentur, & ærario tam aulico, quam militari non desint nervi rerum gerendarum.

§. XV. Eadem de jure sequelæ dicenda esse, apparet *Idem sentiens* ex *Capit. Leop. art. 18.* Ut & de jure condendi ordinationes *endum de* Politicas, & præscribendi LL. collegiis Opificum, in quibus *reliquis re-* libere disponunt Status, unde tales causæ ad Cameram *galibus.* delatæ ad ipsos Status remittendæ per R. J. de anno 1654. §. 106. *Abz und an des Orts Obrigkeit als die ohne dem Gewalt haben/ dergleichen Statuta nach Gelegenheit der Läufe und Zeiten zu wiederruffen und zu ändern/ verweisen.* Nec opus est, plura Principum nostrorum jura, & quid propria autoritate citra ambages processus hic possint, excutere; sed cum de similibus idem judicium sit, Lectorem hic non detinebo.

§. XVI. Cæterum in hoc Superioritatis & inde dependentium regalium exercitio libero adeo LL. Publicis *De literis informato-* fundati sunt Principes & Status Imperii, ut, quamvis Subditi *riis.* ad Cæsarem se contulerint, & ab eo auxilium per mandata solita contra prætensam vim petierint, non tamen mox audiendi, sed à limine judicii ad debitam partitionem repellendi per *Cap. Leop. art. 3. ibi:* Nicht leichtlich gehöret/ sondern a limine judicii abz und zu schuldiger partition an seinen Landes-Fürsten und Herren gewiesen werde. Et si causa tandem ita comparata, ut juste gravati dici possint Subditi, tamen non mox nudis illorum narratis credendum, sed literæ informatiæ primum exigendæ ab illo Principe, contra quem querela mota, quod in publ. Imperii comitiis ita provisum per R. J. de anno 1654. §. 105. ibi. den Unterthanen und Bürgern wider ihre Obrigkeiten die processe nicht leichtlich erkennen/ sondern vorhero umb Bericht schreiben/ quod repetitum in *Capit. Leop. art. 18. & Joseph. art. 17.* cujus verba supra adduxi *cap. 1. §. 34.* de quibus literis informatiis ex pro-

fesso egit Illustr. Dn. de Rhetz *disp. de literis informator.* addatur Dn. Deckher *de process. inform.* ad quos plura de hac materia desiderantem remitto.

*An Principes jurisdi-
ctionem habeant in uxorem & liberos?*

§. XVII. Coronidis loco adhuc subjiciendum, an Princeps contra uxorem vel filium delinquentem via facti, seu propria autoritate procedere possit, an vero hi coram Imperatore conveniendi. Sunt quidem non pauci, qui patri ex superioritate territoriali omnem potestatem in uxorem & filios denegant, eumque nec judicem eorum esse, nec ullam pœnam infligere eis posse, statuunt. Mylerus ab Ehrenbach *c. 7. n. 22. & seqq.* Sed quemadmodum hoc fundamento caret, ita contraria sententia merito præponderat. Princeps enim est summum caput in suo territorio, cui omnes reliqui subsunt, nec unquam hanc superioritatem uxori filisque communicavit. Vocatur quidem omni jure uxor socia mariti, sed hæc societas ad thorum conjugalem tantum spectat, non autem ad regimen & administrationem Reip. est extendenda. Nec etiam Imperator censendus est, filios ab omni jurisdictione paterna exemisse, ex eo quod eos de superioritate territoriali simul investierit; non magis, quam si alios extraneos in simultaneam investituram recepisset: Hæc enim vivente patre nullum jus in filios transfert, nec in possessione jurium horum, nisi post mortem patris eos constituit. Reliqua contrariantium argumenta recensere, est quasi refutare: pleraque enim desumpta sunt ex Legibus Civilibus Romanorum, quæ ad controversiam hæc decidendam impertinenter trahuntur, cum antiqua illa Romani Imperii facies cum statu regiminis nostri minime conveniat. Monzamb. *c. 1. §. 14.* Sic, quod Imperator Zeno, in *L. f. C. ubi senat. vel Clarissimi & c.* constituit, ne viri illustres in causis Criminalibus alterius cognitioni, quam Imperatoris ipsius subjiciantur, id respiciebat Statum veterem Romanorum, in quo absoluta erat eaque uni-

unica per univcrsum Imperium Monarchia. In nostra autem Germania tot quasi habentur Monarchiæ, quot Principes, qui omnes Imperatores sunt in suo territorio, ut adeo Lex hæc ad Imperatorem nostrum hodieum commode nequeat applicari. Idem quoque censendum de *L. 9. §. 11. L. 27. D. de pœnis*. Quod autem ulterius de propenso amore & benigno affectu, quem pater filiis debet arg. *L. f. pr. C. de curat. furiosor.* objicitur, ille quemadmodum a parte filiorum præsupponit debitam reverentiam atque probitatem; ita, hac deficiente, non pauca gentes fuerunt, quæ patri in filios immorigeros jus vitæ & necis concesserunt, uti id de antiquis Romanis constat. Vid. Balthasar Gomezius de America *de potestate in seipsum l. 1. c. 13. n. 12.* Verior itaque manet sententia illa, quæ jurisdictionem patri Principi, in uxorem & liberos suos astruit, præcipue si locus delicti aut contractus sit simul in ejus territorio. Conf. illust. *Dn. de Rhetz. J. J. P. l. 1. tit. 22. §. 14.*

§. XVIII. Quanquam in eo restricta multum est Principum nostrorum potestas, quod, cum bona eorum fere omnia sint feudalia, vix exhæredare filium a provinciis suis propria autoritate possint, sed Imperatoris tantquam Domini feudi consensum adesse oporteat. Cum enim in feudis, præcipue antiquis, nulla testamentaria valeat dispositio, *2. feud. 8.* nec hæc exhæredatio effectum ullum contra filios ingratos fortietur, nisi in allodialibus, in quibus pariter quoque eis hæc potestas relinquatur.

An filios sine Imperatoris consensu exhæredare possint?

CAP.

(56)

CAPUT III.

De

VIA FACTI PRINCIPUM
IN ECCLESIASTICIS.

§. I.

De Objecto
hujus capi-
tis.

P

ostquam hucusque via facti Principum in negotiis secularibus discussa, restat, ut paucis de via facti in Ecclesiasticis agatur. Ubi statim ab initio monendum est, me hic sollicitum non esse de Principibus Romano-Catholicis, utpote, qui in Sacris atque Ecclesiasticis vel plane nihil, vel non nisi consensu Pontificis quid suscipiunt: Non quasi non æquali cum cæteris Principibus gauderent eminentia, aut quod eorum superioritas magis esset imminuta; sed quod cæca reverentia erga sedem Romanam fascinati, jugum illud Papale a se excutere hætenus noluerint, & hinc in LL. Imperii, præsertim Pacificatione religiosa & Instrumento pacis, circa Sacra ipsis expresse nihil juris assertum. Conf. Conring. *Dis. de Majestatis autorit. circa sacra* th. 54. Totius itaque hujus capituli materiam Principes Protestantes fere unice suppeditabunt, ad quos me jam sine ulteriori mora converto.

Ante refor-
mationem
Principes
nihil exer-
cebant cir-
ca sacra.

§. II. Equidem sub ipso Papatu, antequam impiis conatibus Pontificum Lutherus obviam iret, nihil magis quam alii Pontificii circa Sacra Principes nostri exercuerunt, sed hæc, tanquam longe supra suam potestatem posita soli dispositioni Papparum & Episcoporum reliquerunt. Et quamvis ipsos non lateret magna eorum injustitia, nemo tamen aderat, qui eorum tyrannidi resistere atque auctoritatem suam circa sacra asserere auderet. Duravit hæc cæca obedientia atque superstitio, usque dum vera lux Evange-

ange-

angelii & has quoque tenebras discuteret, redderetque singula hæc jura suis locis. Lutherus enim cum inciperet indulgentiis Tezelii pro virili se opponere, earumque abusus omnium oculis manifeste exponeret, nulla, ut jam dixi, facultas penes Imperatorem aut Status erat, has controversias definiendi. Hinc ad Pontificem ipse etiam Lutherus provocabat, rogabatque, ut autoritate sua lites has decideret, quod etiam tam Maximil. Imperator, quam Elect. Sax. ab eo flagitabant. Sed cum Papa his nihil motus, sine ulla causæ cognitione, excommunicationis fulmen contra Lutherum vibraret, & ita judicis loco adversarii partes assumeret, quem deinde secutus Carolus V. Anno 1521. pariter Lutherum proscribendo inaudita plane causa, Sleid. l. 3. Juste omnino egit Elector Saxonix, quod Pontifici atque Imperatori, de facto procedentibus, via facti quoque se opposuerit, & Lutheri non tantum personam, sed & libertatem Evangelicæ religionis contra vim injustam defenderit. Eodem quoque fundamento innititur deinceps bellum illud religionis, quod Carolus V. hortatu Pontificis contra Protestantes susceperat, in quo cum injuste invaderentur, juste omnino sese defendere potuerunt. Vid. Hortleder von der Rechtsmäßigkeit des teutschen Krieges l. 2. per tot.

*Principes
via facti se-
se contra
Papam ju-
ste defende-
runt.*

§. III. Finiebatur bellum hoc pace religiosa de anno 1555. in qua Principibus nostris potestas circa sacra plene concessa, atque lege publica stabilita fuit. Non vero tam firmo stabat talo hæc pax, ut non subinde sibi metuerent Principes Protestantes, fœdera que inter se pangere necessum haberent, quo injustis Cæsarium conatibus via facti resistere possent. Nec vanus fuit metus, id quod subsequutum bellum tricennale abunde testatum est. Hoc vero finito, firmissimam demum basin atque fundamentum Potestatis suæ Ecclesiasticæ Principes nostri obtinuerunt per Instrumentum Pacis, in quo omnia, quæ in pace religiosa de anno 1555. dubia vide-

*Quomodo
Principum
nostrorum
jura confir-
mata?*

H

ban-

bantur, decisa, atque ad omnem perpetuitatem extensa sunt. Conf. Dn. Conring. *de pace perpet. Instr. Pac. §. Bona Eccl. in fin. art. 5.* Vigore hujus pacis duplicis omnis potestas Pontificis summi in territoriis Principum Protestantium suspensa est, & omnis ejus jurisdictio Ecclesiastica intra terminos territorii cujusque se continet. *Instrum. Pac. art. 5. §. 16. 30. 48. & art. 8. pr.* Generaliter itaque hic dicendum esse puto: In quibuscunque causis ex nimia quadam superstitione vel nihil plane suscipiunt Principes Pontificii, vel consensum Sedis Romanæ implorant, id omne Principes nostri Protestantes via facti, sine ulla Ecclesiasticæ potestatis imploratione, exercere possunt. Sed ut distinctius procedam, pariter methodum in secularibus propositam & hic in Ecclesiasticis sequar, ita ut primum consideraturus sim, quid ipsis liceat respectu Statuum aliorum immediatorum, si inter eos lis circa bona aut jura Ecclesiastica oriatur; deinde, quousque potestas hæc in territoriis suis inter subditos via facti secundum LL. Imperii exerceri possit. Ubi generaliter præmitto, si negotium aliquod pace publica certis limitibus circumscriptum sit, omnem viam facti circa religionem, & quæ eo pertinent, Statibus esse interdictam, sicut hoc in R. N. §. 193. saluberrime provisum: *Daß kein Stand gegen den andern / oder dessen Land und Leute / oder auch gegen seine Unterthanen und Bürger / in Religions-Sachen / wider den Friedens-Schluß mit Gewalt und eigenmächtiger Bestimmung das geringste nicht attentiren oder vornehmen / sondern ein ieder das Seinige / was er vermeinet / das ihm gebrühret / mit behörigen Weg Rechtens suchen / und denen / so dawider beschweret würden / auf Begehren / Mandata inhibitoria gebrüger Orten ertheilet und vollzogen werden sollen.*

Omnis via facti hic inter Status Imperii est prohibita.

§. IV. In casu igitur, si res agitur extra eorum territorium inter duos Status Imperii, præcipue observandum est, quod in omnibus, quæ contra Constitutionem Religionis in Comitibus Augustanis anno 1555. promulgatam Religionis-

gions: Frieden fiunt, Camera habeat fundatam jurisdictionem, *art. 5. J. P. §. 54. Gail. l. 1. obs. 1. n. 3.* ita tamen, ut, si inter duos diversæ religionis Status res ventiletur, Assessores pari numero ex utraque religione eligantur, coram quibus causa discutiatur, judiceturque. Quod adeo generale est, ut nullis obstantibus privilegiis fori, hoc iudicium declinari possit, sed his omnibus dicta Constitutione derogatum sit, *Gail. d. l. obs. 2. n. 1.* Cum itaque & hic iudicem habeant competentem, regulariter a via facti omnibus erit abstinendum, quibus salus tranquillitasque publica est cordi, quemadmodum & ea expressis verbis in *d. art. 5. §. 1.* interdicta: ibi: *violentia omni & VIA FACTI, ut alias ita & hic inter utramque partem perpetuo prohibita.* Quisquis ergo Status Imperii propria autoritate alterum in possessione, vel quasi, bonorum ac jurium Ecclesiasticorum turbare susceperit, contra dictam constitutionem graviter delinquet, fractæque pacis publicæ sine dubio reus erit.

§. V. Atque ita omnis offensio atque perturbatio, quæ *In defensione* fit via facti, & hic quoque erit illicita: in defensione vero *ne tamen* horum jurium ac bonorum pariter eos, ut in secularibus, *bonorum ac* via facti procedere posse, omni dubio vacat. Si enim iis id *jurium suo-* indulgetur, qui privato possessionis titulo nituntur, quidni *rum via fa-* multo magis id licebit in possessione, quæ publico universæ *cti uti pos-* fere Europæ concluso Principibus nostris est adjudicata. *sunt.* Et quamvis negandum non sit, non paucos via facti dicta bona nactos esse, solenni tamen illa pace Westphalica controversiis illis de jure aut facto possessionis bonorum & reddituum Ecclesiasticorum terminus constitutus est, qui facta possidentium Juris colore muniret. Est ille dies criticus Kalend. Januar. anni 1624. quo si quis in possessione fuerit, non attento, an jure an injuria, pro legitimo possessore imposterum reputetur, nec unquam ab alio ullo juris prætextu turbetur. Unde tantum abest, ut non defendere se possint contra illos, qui eos in possessione hac privato ausu turbare

audent; ut etiam via facti resistere possint illi, qui publica judicis autoritate hic eos inquietare tentat. Non una enim vice in Instrumento Pacis statuitur, *ita tranquille eos possidere debere, ut nulli liceat alteri, seu in judicio seu extra negotium facessere, multo minus turbas aut impedimentum aliquod inferre.* Art. 5. d. Instr. Pac. §. 14. Et §. 25. *ab omni persecutione juris & facti perpetuo tuti esse debere precipiuntur.* Et hinc quoque, quæcunque demum mandata a Camera vel Imperatore contra eos hoc intuitu decernuntur, impune ea negligi, atque eis via facti resisti posse, arg. *L. f. D. de Jurisdictione* liquet.

*Et in casu
deficientis
judicis.
Principes
sibi ipsi circ
sa gradus
affinitatis
dispensant.*

§. VI. Præterea, quemadmodum, si copia adeundi judicis non datur, sibi quemlibet jus dicere atque via facti procedere posse, ex jure Civili abunde constat; Ita ejus juris notabilis effectus in Principibus nostris Protestantibus occurrit: Hi enim, cum matrimonium contrahere cupiunt cum persona arctiori quodam sanguinis aut affinitatis vinculo juncta, sane superiorem non habent, a quo dispensationem petere possint. Solum quidem Pontificem hoc jus sibi vindicare, ex praxi quotidiana adhuc inter Catholicos frequentata, vid. Bucholtz. *de resp. pro matrim. Princip. cum defunct. uxor. soror. n. 644. & seqq.* jurisque Canonici textibus constat, *c. multorum 10. c. 35. q. 6. C. accedentibus 12. X. de Excess. Pralat.* Sed cum hujus jurisdictio per Pacem Osnabrugensem, quoad Protestantes, plane sit suspensa, nihil hoc casu hic sibi sumere potest. Nec plus sibi attribuet Imperator, utpote qui ipse in nuptiis contrahendis a Papa veniam petere solet. Vera itaque omnino illorum est sententia, qui Principem sine ulla dispensatione, propria autoritate, nuptias has contrahere posse, dicunt, licet alias jure communi in Imperio nostro sint prohibita. Knipschild *de Jure & Priv. C. 7. l. 2. c. 3. n. 262.* Besold. *l. 1. Pol. 3.* Mylerus *in Gamol. c. 8. n. 7.* Henricus Gebhard, alias Wesenerus, *de potest. seu reg. Eccles. sub resol. §. 15. num. 220. & seqq.* Et hoc quidem quoad gradus mero jure positivo tantum interdictos. In
casu-

casibus jure divino prohibitis, quemadmodum nec ipsos nec quenquam alium dispensare posse constat; ita si dubium oriatur, numne hæc vel illa matrimonia jure divino sint incestuosa, tutius certe agunt Principes nostri, si hic Collegia Theologica & Juridica adeant, ab iisque consilium expetant, an tale matrimonium iniri possit, nec ne. Non quidem, ac si eo casu sese Consistoriis his submittere, ab iisque dispensationem petere debeant; sed tantum eo fine, ut ipsi in Conscientia certi sint, hunc gradum juri divino non contrariari.

§. VII. Alia adhuc non minoris momenti quæstio est: An, si Princeps Evangelicus ob adulterium vel malitiosam desertionem uxoris ad dissolutionem matrimonii agere velit, habeat judicem competentem, an vero via facti propriaque autoritate ex thoro conjugali eam expellere possit? Hic fere tot sunt opiniones, quot sunt capita: Imperatorem hic judicem constituit Schubartus *de Austregis c. 5. n. 64. & seqq.* & Textor *ad R. 7. noviss. dis. 1. th. 74.* Pro Camerae competentia pugnat Oldenburg. *p. 2. disc. 20. n. 13.* & Schröter *dis. de eo, quod justum est, in puncto malitiosæ desertionis th. 34.* Ad Austregas controversias has remittendas esse asserit Ziegl. *com. concl. §. Austrega concl. 2. n. 1. & seqq.* Alii ad Consiliarios alterius partis hanc rem remittunt, alii ad Consistoria, alii denique alio. Quorum omnium opiniones late refutatas vide apud Reinck. *de regim. secul. & Eccl. l. 3. cl. 1. c. 10. n. 31.* Dn. Linck. *de Immediatorum Protestantium foro in matrimon. sect. 2. num. 10.* Bardil. *de divortio ex causa desert. 222. D. 4. th. 10.* Veriorem itaque & hic puto esse sententiam: Judice hoc in casu carere Principes nostros, & licere parti læsæ, statim atque de adulterio malitiosaque desertione plene constat, via facti procedere, & propria autoritate vinculum matrimonii dirimere. Quid enim prohibet, quominus ob deficientiam judicis superioris sibi ipsi jus dicere possint Status nostri Imperii, cum ea potestas cuilibet privato competat. *L. 54. C. de Decur. L. 10.*

Propria auctoritate matrimonii vinculum dirimunt.

§. 16. de his, quæ in fraud. Credit. Sichard. ad L. 1. C. de testam. n. 17. Quamquam ad salvandam conscientiam suam, justitiamque toti orbi ostendendam, consultius faciant, si a quibusdam Facultatibus responsa super hac causa petant, & juxta consilia inde accepta, quid sibi faciendum sit, statuunt.

De libertate Principum in matrimonio cum Exteris.

§. VIII. Non possum quoque non mentionem hic injicere quæstionis illius celebris: An Princeps Imperii cum extera familia Regia seu alia conspicuæ eminentiæ aut potestatis matrimonium inire possit, irrequisito consensu Imperatoris? Id quod affirmare nullus dubito, cum conjugia Statuum nostrorum sint liberrimæ voluntatis, nec Constitutiones Imperii libertatem istam ullo modo restringant. Vid. Myler. ab Ehrenbach in Gamolog. c. 3. th. 6. & seq. ubi late & egregie hanc quæstionem pertractavit. Competunt quidem adhuc multa jura Principibus nostris, in quibus via facti uti possunt; sed cum reliqua fere omnia in territoriis eorum contineantur, & sic respectum ad proprios subditos habeant, eo me jam vi promissi converto.

In territoriis suis habent summum Imperium circa Sacra.

§. IX. Atque, si ullo modo, certe hic, Principum nostrorum eminentia sese exferit, cum jura hæc circa sacra non, ut cætera, ab Imperatore tanquam feudalia recognoscant, sed absolute atque independenter publica pactione possideant. Et inde quoque summum circa ea cognoscendi pronunciandi que jus habent, citra ullam appellationem; idque non tantum quoad Electorum Imperii territoria, utpote quod ob generale de non appellando privilegium extra dubium est; sed etiam quoad illas Provincias, ubi alias appellare ad Imperatorem fas est: nec solum in causis Evangelicam religionem concernentibus; sed & in causis Ecclesiarum Cathedralium & Capitulorum, sive ipsas Ecclesias sive Canonicos de præbendis concertantes concernant, de quo pluribus egit Dn. Præses dis. de Jure Papal. Princip. c. 6. §. 3. Syring. de pace relig. th. 53. & seqq. Novi equidem, esse quosdam, qui Principem in Ecclesiasticis pariter ut in seculari-

laribus iudicio Austregarum subijcere conantur, inter quos præcipuus supra dictus Zieglerus *in comm. conclus. §. Austrege conclus. 2. num. 1. & Mindan. de process. c. 10. num. 4.* Verum horum sententias late & solide refutatas vide apud Reinking. *d. l. l. 3. cl. 1. c. 10. n. 37.* Conf. Limn. *J. P. L. 9. c. 5. n. 76.*

§. X. Totum vero hoc jus circa sacra tribus præcipue partibus absolvitur: vel enim versatur circa (1) Religionem ipsam ejusque exercitium, vel (2) circa Personas religioni addictas, vel (3) circa res & bona Ecclesiastica. In singulis his quid in territoriis suis possint agere, tam excluso consensu Pontificis (id quod generaliter extra dubium est) quam etiam Cæsaris, imo & Consistorii aut subditorum, paucis hic liceat delibare.

Divisio.

§. XI. Et quidem Religionem quod attinet, libera cuiusvis Principum relinquitur potestas, ex tribus religionibus in Imperio receptis, quamcunque velit eligere, & licet ipse dissentiat a religione subditorum suorum, Ecclesiam tamen aulicam, atque in ea Concionatores suæ religioni conformes instituere potest. *J. P. art. 7. §. 1.* Dummodo id fiat citra onus aut præjudicium subditorum, nec salaria horum Ecclesiis & Ministris destinata, novæ suæ religionis Ministris applicet. Et hoc verum esse puto, sive ex Principe Pontificio fiat Evangelicus, sive vice versa. Quamvis enim inter se loquatur, attamen idem jus esse puto in casu contrario, cum libertas religionis Principum nostrorum personis plane libera sit, nec ullibi LL. publicis limitata.

Quid possint circa introducendam religionem?

§. XII. Quod vero alias exercitium religionis intuitu subditorum attinet, inter Romano-Catholicos & Augustanæ Confessionis consortes solennis terminus constitutus est anni 1624, ut, qui tunc temporis hujus vel illius religionis exercitium sive publicum sive privatum habuerint, sive de jure sive de facto, aut sola observantia, illud retineant in posterum una cum annexis juribus, quatenus hæc d. anno

Quid Princeps possit circa religionem subditorum.

exer-

exercuerunt. *J. P. art. 5. §. 31.* adeo ut, si via facti hic quicquam contra ipsos statuatur, & in exercitio religionis suæ turbentur, sine ulla exceptione restituendi sint, *d. art. 5. §. turbati. 32.* ut adeo ille annus 1624. instar regulæ obtineat, *d. art. 5. §. 33.* Quod si E. sint adhuc Catholici in Protestantium territoriis, qui dicto anno nullum religionis suæ exercitium habuerunt, vel etiam de novo Pontificiorum Sacris accesserunt, via facti quidem ipsos ad Sacra sua compellere Princeps Evangelicus non poterit; si tamen Sacra Pontificia hic exerceant, sine causæ cognitione alienæ religionis Ministros expellere poterit, ex hac sola ratione, quod illo anno illius religionis exercitium in hac Provincia non fuerit frequentatum, *d. art. 5. J. P. §. Placuit. 34.*

*Quid juris
inter Evan-
gelicos in-
ter se.*

§. XIII. Verum hæc omnia, quæ de termino anni 24. dicta sunt, tantum potestatem circa religionem inter Romano-Catholicos & Protestantes circumscribunt. Aliud autem longe reformandi jus est, quo Principes Evangelici sive Lutherani, sive Reformati, in subditos suos eorumque religionem utuntur. Hic enim Instrumentum Pacis nullum tempus, ad quod respici debeat, definit, sed hoc Domino territorii illimitatum atque liberum relinquit, adeo, ut nisi resistant pacta cum Statibus provincialibus inita, die Landes-Reversalien, utpote quæ sola asylum præbent Evangelicis subditis, diversæ confessionis Principem habentibus, Dominus territorii libere Ecclesias, salva dicta pace, ad suæ religionis exercitium applicare possit. Patet id luculenter *ex art. 7. J. P. ibi: Quoniam vero controversia religionis, quæ inter modo dictos Protestantes vertuntur, nondum fuerunt composita, sed ulteriori compositioni reservata, adeoque illi duas partes constituent, ideo de jure reformandi inter utramque partem ita conventum &c.* Ex quo clare satis concluditur, aliud jus Reformandi obtinere inter Romano-Catholicos, & Protestantes, aliud inter Protestantes ipsos, deque hoc ultimo nihil in præced. art. esse dispositum: In seqq. autem, cum tantum de mutationibus

bus futuris post *annum 1648.* caveatur, ob perspicua verba *dict. art. 7. Ut si aliquis Princeps posthac ad alterius partis Sacra transferit;* quod hic templa, scholas, & hospitalia prioribus adimere, vel ministros alterius Confessionis ipsis obtrudere nequeat. Ex quo indubitate sequitur, Domino territorii extra illos casus liberam esse manus, nec ullum refugium subditis ad Instrumentum Pacis superesse. Magis adhuc hoc omne stabilitur per verba *§. 2. art. 7. Sicut autem supra dicta omnia de mutationibus futuris intelligenda sunt, ita juribus Principum Anhaltinorum & similium, quae ipsis competunt, nullum afferant praedictum.* Quo loco Principibus Anhaltinis peculiare, & praeter ceteris jus reformandi concessum non esse, docet *Illustr. Dn. de Rhetz d. disp. c. 5. §. 17.* ubi pluribus hoc thema persequitur.

§. XIV. Sed hoc dubium, an Princeps, qui vel per Instrumentum Pacis, vel per pacta cum Provincialibus intractatus est, ut subditis certae religionis exercitium liberum relinquat, via facti aut suae aut alterius religionis in Imperio receptae Consortibus co-exercitium indulgere possit, invitatis Statibus Provincialibus? Sane pro turbatione hoc communiter reputari solet, sicut in diversis Statuum quorundam Provinciis querelae hac de re frequentes fuerunt, cum Reformatis ex Gallia profugis Principes quidam in suis territoriis fortunarum sedem & exercitium religionis concedere vellent. Et interesse puto, an Princeps per pacta promiserit Statibus Provincialibus, se nullam aliam Religionem tolerare in sua Provincia velle; aut, an tantum securitatem subditis promiserit de libero & perpetuo hujus religionis exercitio. Illo casu ex pactis publicis justam querendi habent causam subditi, non hoc casu: si enim simultaneum alterius religionis exercitium ita concedatur, ut Sacris reditibusque illorum nihil decedat, non habent, de quo juste querantur subditi. Et huc pertinet solennis textus in *art. 7. §. 2. P. §. 2.* Ubi Dominus, qui a subditorum suorum confessione discessit, civibus quibusdam eandem Principis religionem

*De Co-ex-
ercitio di-
verse reli-
gionis.*

amplectentibus concedere potest, ut suo sumptu, citra aliorum tamen præjudicium, religionis suæ exercitium instituerent possint, & quidem hoc effectu, ut Princeps successor novæ hujus religionis exercitium ipsis iterum auferre nequeat, uti expresse cautum *in 7. P. art. 7. §. 2.*

*An Cives
renitente
Senatu pos-
sint exerci-
tium insti-
tuere?*

§. XV. Cæterum, quod defendere conatur *Paurmeister*, posse Cives Civitatum Imperialium via facti exercitium aliquod religionis assumere, si Senatus precibus eorum in eo deferre nolit, nescio, an assensum apud Dd. relaturum sit. Cujus præcipua argumenta eo collimant, quod Pacificatio religiosa non tantum ipsorum Statuum, sed & Civium ac Subditorum nomine facta, horumque æque conscientia securitatem tribuat, ac ipsorum Statuum. *R. 7. zu Augspurg de anno 1555. §. Darauf wir. 5. ibi: der Stände und Unterthanen Aug. & §. 7. ibi: An dem allen Ständen und Unterthanen zum höchsten gelegen etc. §. In solcher. 13. per tot.* Ad quod referitur, distinguendo inter duplicem securitatem religionis. Alia enim est illa, qua religio ita potest coli, ut etiam sine ulla offensione publicum exercitium habeat annexum, & hæc Statibus solum data est. *Syring de pace religion. th. 23.* Alia est illa, qua publicum exercitium aut cultus non conceditur, sed affectu tantum ejus conscientia libera domi devotioni suæ sine inquisitione aut turbatione privatim vacare non prohibentur, *art. §. 33. Instr Pac.* liberave ipsis facultas migrandi sine compulsione permittitur. Et hæc subditis Statuum competit, *Syring. d.l. Concl. 34. Conf. Carpz. decis. 83. num. 26. & seqq.* Quod autem ulterius adducit: in Civitatibus Imperialibus non tantum Senatum, sed simul etiam Cives Statum agere ac repræsentare, minime id quidem probat. Quanquam enim Senatus non possit dici Status sine populo, tamen exinde non sequitur, quod Cives regalia quædam, invito ac renitente Senatu, sibi sumere possint; Quin potius, cum semel regimen in Senatum contulerunt, quicquid in Rep. expediendum est, per eum fieri debet. Latius hanc rem ventilatam vide apud *Carpz. decis. 83. Min- dan.*

dan. de process. lib. 1. c. 31. per tot. Knipschild. de jurib. & Priv. Civ. Imper. l. 2. c. 3. n. 108. & seqq.

§. XVI. Personas religioni addictas, quod concernit, hæ præcipue sunt in duplici differentia, Clerici scil. & Laici. Et circa priores quidem illud superfluum erit adducere, quod vita & mores eorum inquisitioni Principis subjaceant, isque in omnibus eorum delictis sine ullo Pontificis aut Ecclesiæ consensu eos degradare, imo supplicio afficere possit. Quod vero capitula Clericorum attinet, quæ in Principum Provinciis sunt, illorum securitati partim per Instr. Pacis, partim per literas reversales satis prospectum, ne via facti Præbendis suis privari, vel in exercitio jurium sibi competentium turbari possint. Interim tamen eapropter non inferendum, plane nihil potestatis Principibus nostris hic superesse. Postquam enim suprema jurisdictio Ecclesiastica, quam Papa quondam exercuit, superioritati territoriali adscripta est §. Jus Diocesanicum 48. art. 5. f. P. illa, quæ quondam Pontifici competebant jura, Principibus nostris non deneganda, modo illa salvis de cætero beneficiis Capitularibus exerceantur. Qua propter & summum jus de his beneficiis cognoscendi citra appellationem, ut & facultas dispensandi circa statuta Capituli, & sacra ad meliorem Ecclesiæ ædificationem ordinandi potestas ipsi non deneganda. Conf. Dn. Præf. disp. de jure Pap. Princ. Imp. c. 5. per tot.

§. XVII. Et hæc quidem de Clericis solum; quoad Laicos quoque simul, operose hic disceptari solet, An Princeps via facti, sine ullo antegresso delicto expellere possit subditos diversæ religionis, qui dicto anno 1624. nullum religionis exercitium habuerunt? Affirmat id Fritschius de Jure Publ. p. 2. Exerc. 4. th. 15. Conf. Myler. de Statibus Princ. Imp. c. 83. §. 4. Lyncker. de superior. sacr. §. 12. Buckisch. ad Instr. Pac. art. 36. Obs. 99. Negant vero Cranius de pace religios. part. 2. problem. 1. per tot. Carpz. de L. Reg. Germ. c. 14. sect. 2. num. 11. & seqq. Syring. de pace relig. §. 38. Illustr. Dn. de Rhetz de jure

Statuum Imper. circa sacra c. 4. n. 12. & seqq. Quorum sententia & ego adstipulor, motus præcipue claro textu in R. 7. zu Augspurg de Anno 1555. §. Wo aber. 22. ibi: *Nu andere Orte ziehen und sich niederthun wolten*: ubi verbum wolten sine dubio non necessitatem, sed voluntatem involvit: quæ eadem verba quoque occurrunt in *Instr. Pac. art. 5. §. 36. sua sponte emigrare voluerint*. Clarius adhuc hoc patet ex *d. Instr. Pac. art. 5. §. 34.* ubi expresse statuitur; *Ut ejusmodi subditi patienter tolerantur, & conscientia libera domi devotioni suæ sine inquisitione & turbatione vacare &c. non prohibeantur*. Quamvis itaque in antea dicto §. 36. alternative ponatur: *Sua sponte emigrare voluerit, aut a Domino territorii jussus fuerit*, quibus Principi arbitrium relictum videtur, an tolerare, an ad emigrandum compellerere velit subditum; ille jussus tamen non excludit præcedentem justam causam, ob quam Princeps ipsis discessum injungere potuerit, si scil. turbationibus ansam præbeant per §. 34. in fin. art. 5. I. P. Qua ratione pariter temperanda sunt verba *art. 37. d. art. 5. ibi: Sive voluntarie sive coacte emigrantibus*. Dn. Præs. in *Prælect. ad Instrum. Pac. d. art. 5. §. 36.* Pluribus de hac materia videatur *Illustr. Dn. Cancellar. de Jena tr. de Ratione Status disp. 22. concl. 1.* Posito autem, Pace Osnabrugensi hoc dubium aut indeterminatum relictum esse; an hoc ex superioritate territoriali fluat, videndum. Verum nec inde magis contrarium evinci potest, cum inter fundamenta Civitatis repositum sit, ne quis invitus Civitate sine sua culpa mutetur. Dn. Pufend. de *J. N. & G. lib. 8. cap. 11. §. 6.* Tanta enim competit Principibus potestas, quanta sufficit ad obtinendum Reip. finem, qui est tranquillitas externa. Jam vero etiamsi unus subditus ab altero in hoc vel illo fidei puncto dissentiat, tamen per id non statim turbatur salus reipubl. & ideo vel ob hanc solam causam eum urbe ejicere nequit, si alias tranquille vivat. Quod si vero turbas ille ipse excitet in Republica, tunc non propter religionem, sed seditionem punitur emigratione hac necessaria.

§. XVIII. Ultimo denique loco circa bona Ecclesia-
 stica Princeps viam facti exercere potest in omnibus illis
 casibus, quoties vel Reipublicæ utilitas illud exposcit, vel
 ipso jure quis se iis indignum reddidit. Ex prima causa de-
 fendi potest potestas, quam Principes nostri adhibuerunt in
 reducendis innumeris Monasteriis, aliisque bonis, quæ Pon-
 tificiis tempore reformationis eripuerunt. Quamquam,
 quod ea omnia secularibus usibus impenderint, laudem
 non mereatur, cum potius, abusu superfluo atq; supersticio-
 so abrogato, ad verum & legitimum usum cultus divini es-
 sent transferenda: aut tandem Monasteria ad pristinum
 usum revocanda fuissent, ut scholæ essent & seminaria pieta-
 tis, in quibus præpararentur adolescentes ad futuros Eccle-
 siæ & Reipublicæ usus. Zepper. *Polit. Eccles. l. 2. cap. 26.* Quod
 vero statum bonorum Ecclesiasticorum ex provisione In-
 strumentum Pacis concernit, ad diem primum Jan. anno 1624.
 respiciendum, ita, ut, qui illo tempore in reali eorum pos-
 sessione fuerit, illa porro tranquille & imperturbate posside-
 re debeat, in tantum, ut non saltem via facti in illa possessio-
 ne turbari nequeat, sed & nec via quidem juris in iudicio
 ipsis lis moveri possit. Quod si itaque dicto anno bona Ec-
 clesiastica in possessione Evangelicorum fuerint, jam vero
 a Catholicis subditis detineantur, Princeps Evangelicus
 ipso de facto expellere, & bona Evangelicis applicare
 posset.

*Quousque
via facti
uti possint
circa bona
Ecclesiasticis
ca?*

§. XIX. Quapropter si Canonicus aliquis in Capi-
 tulo, quod anno 1624. die 1. Jan. religionis Evangelicæ fuit,
 a religione Evangelica deficiat, & Pontificiam eligat, Præ-
 benda sua mox privari potest. Ob eandem causam, si con-
 troversia occurrat de Commendis & Baliviis, ad Ordinem
 quidem Teutonicum pertinentibus, sed in territoriis no-
 strorum Principum sitis, an, si in illis Religionis mutatio
 contingat, & ita status anni 1624. mutetur, Dominus territo-
 rii de facto procedere, & Commendatorem illum diversæ re-
 ligioni semet applicantem de facto possessione sua dejicere

*Religionem
mutans via
facti bonis
privatur.*

possit? Equidem *Instr. Pac. art. 5. §. Si igitur. 15.* de bonis & beneficiis Ecclesiasticis immediatis tantum loquitur, ut hinc illa Constitutio tanquam pœnalis & exorbitans ultra illos casus non videatur extendenda; sicut & postea §. *Quantum deinde 29.* ubi de bonis mediatis Ecclesiasticis agitur, de casu mutatae religionis nihil disponit, unde ad §. *Placuit. 33. dist. art. 5.* recurrendum videtur, ubi a religione Domini deficientes patienter tolerandi sunt. Verum etiam hoc casu ad statum religionis de anno 1624. respiciendum, censeo, ut, quaecunque bona tunc a Catholicis non possessa, nec hodie ab Evangelico, qui ad Catholicam religionem deflectit, detineri, sed ille de facto a Principe ab hoc beneficio repelli possit. Nam, quia bonis immediatis ob mutatam religionem quis excidit, *d. art. 5. §. Si igitur. 15.* multo magis id in mediatis obtineri debet, utpote quæ potestati Principis territorialis subjecta, & hinc ratione illius termini omnino sibi comparantur, per §. *29. d. art. 5. in med. ibi: Immediate vel mediate Imperio subjectis.* Et utique hic sibi locum vindicabit regula, quod, quando possessio in illum Statum devenit, a quo incipere non potest, vitiosa fiat. Et quia Principi, si contra Instrumentum Pacis mutatio religionis suscepta, in suo territorio libera executio competit, ut a nemine in hoc impediri possit per *d. art. 5. §. Quantum deinde 30. in fine. ibi: Nul-
lique Statui immediato jus, quod ipsi ratione territorii & superioritatis in negotio religionis competit, impediri oportere;* sequitur omnino, Principem possessorem Catholicum a beneficio anno 1624. ab Evangelicis possessore, via facti expellere posse. Mutatio enim religionis ejusmodi factum est, quod causæ cognitione non indiget, unde in §. *15. d. art.* statutum est, quod STATIM jure suo excidat, quæ particula STATIM omnem præviam causæ cognitionem & sententiam excludit; *statim* enim opponitur illi, quod fieri debet per sententiam. *Tiraq. ad L. si unquam. verb. revertatur. n. 116. seqq. C. de revoc. donat.* Hinc etiam additur in *d. §. 15. citra moram & exceptionem cedant.* Idem jus Pontificiis tribuendum esse censeo, si forte in
ter-

territorio Principis Evangelici Canonicus Catholicæ religioni addictus religionem mutaverit, & ad A. C. consortes transferit; quamvis enim ita religionem Domini territorii amplectatur, beneficio tamen illo, quod sæpius d. anno 1624. die 1. Jan. Catholici possederunt, gaudere amplius ob dispositionem Instrumenti Pacis nequit. Tanta enim vis est reservati illius Ecclesiastici, des geistlichen Vorbehalts/ religionis Evangelici propagationi quam maxime noxii, ut quidem Episcopis Prælati, aliisque Clericis Pontificiæ religionis ad nos sine crimine aut famæ jactura propria autoritate transire liceat, beneficio tamen ipso mox de facto excidant per d. §. 15. in verbis antea adductis. De qua autonomia, seu, ut vocant, Freystellionatu videatur Limn. de I. P. l. 1. c. 13. n. 50.

§. XX. Pontifici olim in Capitulis Germaniæ certos menses competiisse, in quibus jus conferendi beneficia ad ipsum pertinebat, extra controversiam est, & illi secundum tenorem Concordatorum sunt, *Januarius, Martius, Majus, Julius, Septembris, November*, licet alii hos pro Capitularibus mensibus reputent, vid. Dn. Sueder de jure publ. part. spec. s. 1. c. 5. §. 19. sed contra tenorem Concordatorum Germaniæ, quæ recenset Goldast. tom. 1. Const. Imp. part. 211 & 212. Quod si E. suspensa ejus jurisdictione quoad Protestantes, adhuc in Capitulis A. C. addictis hoc jure uti vellet, non nisi de facto id faceret, per Instr. Pac. art. 5. §. si quid annat. 19. ubi notanter dicitur: *id validitate & executione a brachio seculari impertienda careat.* Quo ipso executione hujus juris pro iniqua declaratur, & sic eo ipso via facti panditur Statibus, si contra fiat, cum executioni manifesto injustæ unusquisq; de facto resistere possit. Sed an eapropter Statibus nostris facultas competet, via facti menses Papales sibi arrogandi, ut, ubi Pontifex illa olim exercuit, ipsi ejus loco beneficia dictis mensibus conferre possint? Affirmandum hoc omnino censeo, postquam enim jurisdictio Ecclesiastica, quæ Pontifici olim competebat, cum omnibus suis speciebus, territoriali superioritati Principum Evangelicorum adscripta. per §. Jus Dioces. 48. art. 5. I. P. sine dubio & hæc


*De mensibus
Papalibus.*

*Excusatio
de factis
Principum
insolitis.*

& hæc species ad ipsos pertinebit, uti etiam Seren. Electorem Brand. hoc jure uti, testis est Ill. Dn. de Rhetz *d. I. P. l. i. tit. 16. §. 8.*
 §. XXI. Atqui hæc sunt, quæ mihi hac vice de amplissima hac materia occurrerunt. Proposui hæc secundum regulas LL. Imperialium, præcipue ex prælectionibus Dn. Præf. *ad Instr. Pacis, Capitulationem Imperatoriam, & Recessum novissimum.* Sed pergendum jam erat ad casus extraordinarios, ubi ab his regulis deflectendum esse Principibus, summum, quod in mora periculum est, urget, & facta quandoq; Principum insolita excusat. Optandum sane foret, ut meliori loco via juris in Imperio conspiceretur; adeo enim illa calcatu dura, & ad juris persecutionem incommoda videtur, ut non raro melius sit, juri plane renunciare, quam innumeris processuum anfractibus per seculum quandoq; stadium hoc causarum forensium decurrere, & metam tamen nunquam ex voto contingere. Sane multi hic tædio temporis & sumtuum victi, sub justo etiam clypeo succumbunt; paucis sententiam expectare datum. Quod si tandem & hanc victricem experti, suspendi solet pro ratione temporis ejus executio, præsertim si potentem Imperii Statum concernat; aut si tandem decernatur, & Ducibus Circulorum secundum LL. Imperii committatur: hi plerumque vel metu belli, quod condemnatum arma pro defensione opponere videant, vel alterius interesse intuitu, moras nectunt, & ita plerumq; mera facti via & suspenditur & eliditur executio, ut hinc sententia parùm victori profit. Quibus ita comparatis, quis male verteret Principibus nostris, si missa juris via, facti viam quandoq; præferant, & de apprehendenda possessione primum via facti, postea vero de possessionis justitia coram judice experiantur. Certe *facti via* tamdiu in Imperio adeo reprehendi nequit, quamdiu *via juris* non repurgata, & expeditior ad persequendas causas reddita fuerit. Fieret hoc, si possibile foret, quod in *O. C. p. 2. r. 4.* cautum, ut processus Principum Statuumq; Imperii coram Austregis sex mens. finiantur. Et ita finem quoq; facio Disp.
 immortalis DEO pro clementissima studiorum directione immortales gratias nuncupando.

TANTUM.





Q. D. B. V.
DISPUTATIONEM JURIS PUBLICI, *S.*
De

VIA FACTI
PRINCIPIBUS IMPERII
PERMISSA,

In Illustri Academia Fridericiana
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
DN. FRIDERICO
VVILHELMO,
ELECTORATUS BRANDENB. HEREDE, &c. &c. &c.

SUB PRÆSIDIO
PRO-RECTORIS MAGNIFICI
DN. SAMUELIS STRYKII,
Jcti,
SERENISS. ET POTENTISS. ELECTORIS BRAN-
DENB. CONSILIARII INTIMI, PROFESSORIS PRIMARII
ET FACULTATIS JURIDICÆ ORDINARII,

Patroni sui ætatem devenerandi.

IN AUDITORIO MAJORI
D. Novembr. Anno M DC XCV.
Placido Eruditorum Examine subicit

AUTOR
GUSTAVUS FRIDERICUS HEESPEN,
OLDENBURGENSIS

HALAE MAGDEBVRGICAE, STANNO HENCKELIANO. IX.